INNOCENTIUS XI. 1

Universalis Ecclesiæ militantis Caput Visibile, in rebus Fidei Infallibilis ac necessarius Magister

Toti Ecclesiæ etiam conciliariter Congregatæ

PRÆDOMINANS SUPREMUSQUE

MONARCHA

à Quibusdam non ut talis agnitus, sed ut talis probatus

à D. FRANCISCO VERITE' *Salvatoriano.*


PER TERTIAM EPISTOLAM APOLOGETICAM

ADVERSUS EPISTOLAM

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

GILBERTI DE CHOYSEUL

DU PLESSY-PRASLAIN



EPISCOPI TORNACENSIS.

MISSAM AD

Eximium ac Reverendum Admodum Dominum

D. MARTINUM STEYAERT

S. T. D. & Professi: Ord: in Facultate Lovaniensi,

Ut Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines in S. Religione conservare digneris, te rogamus audi nos.

VOX ECCLESIÆ.

LEODY, Typis JACOBI MONFORT. 1689.

ILLUSTRISSIME DOMINE,

SCRIPSI nuper Illustrissimæ Vestræ gratiæ, quod ad iter me accingerem negotia mea expediturus, ut, cum redux forem, illico vobis satisfacerem, si ad duas meas Epistolas respondisses. Sed dum ad finem iteneris mei perveni, recepi de negotijs Vestris nova quædam satis horribilia Christiano, *Papali Monarchatui* subdito: audivi enim ex testibus ocularibus, qui è Civitate Vestra Tornacensi discedentes perceperunt, quod percepto Summi Pontificis Decreto Infallibili de condemnatione Vestræ Epistolæ, tam immaturè, & ex eo erroneè conscriptæ, è vestigio minister Regius dictus *intendent* contra Pontificum Decretum Epistolam Vestram reimprimi jusserit *Connivente*, nec *Contradicente*, Illustrissima Vestra gratia. Illustrissime Domine, quid hoc audio de te & de tuis socijs *Gallis*? sciant & legant Doctoris Seraphici Bonaventuræ admonitionem in Apol: pauperum Resp. I. c. I. *Si tempore Sacerdotij figurativi* PONTIFICIS *sententiæ adversari malum erat*, MORTISQUE *pœna mulctandum: multo fortius tempore veritatis & gratiæ revelatæ, quando* CHRISTI VICARIO *plenitudo potestatis collata esse dignoscitur, malum esse constat nullatenus tolerandum* in FIDE *vel* MORIBUS *ejus definitioni dogmatisare contrarium approbando quod ipse reprobat, reædificando quod ipse destruit, defensando quod damnat.* Nescio profecto, an vestros Gallos pertinaces, & obstinatos, an ignorantes nominare debeam? Ignorantes tamen eos intitulare nequeo saltem quo ad hoc Factum, quo Pontificis Decreto parere recusarunt: etenim non solum noverunt " Galli, summos Pontifices à Christo Domino tamquam Petri Successores toti Ecclesiæ præfectos" esse, verum etiam " ipsis obedire jure divino sese teneri prædicant super tecta: ita docent summos Pontifices rebus Ecclesiæ providere, ut eorum Decreta, quoad fidem, & quoad mores, secundum Canones, & antiquas ac laudabiles nationum consuetudines amplectenda sint, donec ex toto orbe Sacerdotes congregentur." Ita ipsemet testaris, Illustr: Domine: non ergo possunt prætexere ignorantiam obedientiæ præstandæ Decreto Pontificio, nisi fortè crassam, vel affectatam, quæ ad pertinaciam, & obstinationem disponit eo periculosius, quo ex maturiori procedit scrutinio. At dices non ego contemno Pontificis Decretum, sed ut humilis filius me illi subjicio, censuram admitto, doctrinam meam condemno: admitto responsum, imo in corde meo judico talem esse mentem tuam, quia illam ex doctrina vestra colligo, dum doces te jure divino teneri obedire summo Pontifici, ejusque decreta admittere quoad res fidei, & mores: nisi enim opere impleres, & mens vestra conformis foret verbis vestris doctrinaliter divulgatis, nullam haberes apud Christianos in docendo authoritatem juxta illud Hieronymi *perdit authoritatem docendi, cujus sermo opere destruitur.* in epist. ad Ocean: Rectè ergo & facis dum

quod

quod ante docuisti, opere adimples: sed anne ideo adæquatè munus tuum persolvisti? minime sed tuum est ad exemplum tuum perducere omnes Episcopali vestræ curæ subditos, & pastorali vestræ curæ commissos. Dum ergo subditi vestri ex præoccupato Spiritu Pontificio Decreto non solum parêre dedignantur, sed & superbè resistentes contrarium operantur, tu PASTOREM *te huic populo, aut nega, aut exhibe; non negabis ne cujus Sedem tenes, te neges heredem. Evangelizare, pascere est: fac opus Evangelistæ, & Pastoris* OPUS IMPLESTI. (a) Propone illis energiâ vestrâ tam innatâ, quam acquisitâ, facundiâ vestrâ penetrabiliori omni gladio ancipiti, authoritate vestra apud *Magnates Gallicos* ponderosâ, & aspectabili, propone, inquam, illis, illud Jacobi 4. *Scienti legem, & non facienti eam peccatum est grande.* Item Lucæ 12 *Servus sciens voluntatem Domini sui, si non fecerit eam vapulabit multum:* His spero (quia Evangelici filij sunt) ad se reversuros, & voluntati Pontificis ipsis promulgatæ haud dubiè consensuros. Verumtamen *Dracones, inquis; me mones pascere; non oves; propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo, non ferro.* Bern. ibid. Illustrissime Domine Charitatis stimulo agitatus me reprimere nequeo, omnîque reverentiâ me tibi jus divinum defensurus sisto, *Quapropter sustine paulisper, & supporta me, imo da veniam non tam temerè! quam timide hæc loquenti. Emulor te emulatione bonâ, & utinam tam vehementi, quam utili, scio ubi habitas*: supposito, quod Pontifici se subjicere recusant, "subversores sunt „tecum: lupi, non oves sunt: talium tamen tu Pastor; utilis consideratio, qua fortè „inveneris, quomodo si fieri possit, convertas eos, NE IPSI SUBVERTANT TE. „Ad ea te potius incito, quorum te scio DEBITOREM. Non est tamen, quod horreas operam, curamve Pastoralem, non est, quod erubescas Evangelium: nunc „vero, arripe gladium, qui tibi ad feriendum creditus est, & vulnera ad salutem, „si non omnes, si non multos, certè quos possis." Huc usque S. Bernardus.

Sed forsitan ex parte benè respondebis *Non sum; melior quam Patres mei*, imo quam ipsemet summus Pontifex INNOCENTIUS, "quem illorum domus exasperans non dico audivit, sed non irrisit? ideo tu insiste magis si fortè au„diant, & acquiescant, insiste & resistentibus. Insta opportunè, importunè, ar„gue obsecra, clama ne cesses. (b) Fateor populum istum exstitisse usque adhuc „dura fronte, & indomito corde, sed utrum etiam indomabili, nescio undè liqui„dò scire possis? Potest fore, quod necdum fuit: si diffidis tamen, sed apud Deum „non est impossibile omne Verbum: si durâ fronte sunt, durato, & tu è contra „tuam, nihil tam durum, quod duriori non cedat, Dominus ad Prophetam, dedi „frontem tuam duriorem frontibus eorum. (c) Unum est, quod te absolvit, si egisti „cum populo isto, ut possis dicere, popule meus, quid tibi debui facere & non „feci"? Hec nisi præstiteris, aptabitur illud Hieronymi, Episcopus "quantum ex„emplo prodest, tantum silendo nocet, nam latratu canum, baculoque Pastoris, „Luporum rabies deterrenda est." (d) Verum enim vero priusquam monendo, & exhortando instes, præeas exemplo: licet opere fortè impleas admittendo Decretum Pontificium quoad Damnationem tuæ odiosæ Doctrinæ, & scandalosæ, tamen, tui etiam muneris est Pontificium Decretum perfectè, & non tantum ex parte, exequi, adeoque & in Diœcesi tuâ procurare, ut hujus Decreti mandato satisfiat, scilicet "hunc itaque liberculum sic damnatum, & prohibitum, per idem Decretum

(a) *Bern. l. 4. de consid. cap. 3.* (b) *2. Tim. 4, Esa. 58.* (c) *Esech. 3.* (d) *in Epist. ad Ocean.*

„cretum eadem Sacra Congregatio, de mandato, ut supra vetat" (verba sunt Decreti Epistolam Vestram damnantis) "ne quis cujuscumque sit status, & condi„tionis, ubicumque, & quocumque idiomate, & versione impressum, vel impri„mendum, audeat ullo modo, & sub quocumque pretextu imprimere, vel „imprimi facere, neque impressum apud se retinere, & legere licitè valeat, sed „ipsum ordinarijs locorum, aut hæreticæ pravitatis inquisitoribus, statim & cum „effectu tradere & consignare teneatur, sub pænis in Concilio Tridentino, & in „indice librorum prohibitorum contentis." Hæc itaque & exequere, & exequi à subditis tuis provideas juxta debitum Pastorale, ne Oves tuæ ex conniventiâ tuâ putantes sibi licere, propter hujus Decreti violationem pænis illaqueentur à tridentino expressis: si vero populus tuus adhibitis medijs, quibus eos ad hoc cogere potes, "incorrigibilis, eisque inobediens apparuerit, ad Apostolicam Sedem ejus contuma„cia referatur, ut vindicta de eo fiat," & quidem justissima, quia "si Decreta Ro„manorum Pontificum habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi, „& increpandi." (a) Horum Decretorum firmitatem irreformabilem, quamvis satis probaverim, hac tertiâ meâ Epistola amplius ampliusque confirmabo.

Priusquam Veritatem hanc de infallibilitate Pontificiâ, ejusque supra Concilia superioritate invictè à me per duas anteriores meas Epistolas probatam amplius ampliusque manifestare incipiam, præmittere opus est, me non desiderare nisi ex proprio vestro ore & Judicare, & testibus, ad quos nostræ sententiæ defensores provocas, Sententiam nostram confirmare, & vestram penitùs eliminare. Sic fol. 8. Vestræ Epistolæ nimium erroneæ quasi intrepidus, ac de manifestâ veritate securus eructas, "ad Sacram Scripturam, ad Apostolicam Ecclesiæque perpetuam tradi„tionem, ad conciliorum, ipsorumque Summorum Gregorij VII. majorum de„creta provoco, & cum hæc sint Theologiæ armamentaria, mihique cum sapien„tissimo Theologo sermo sit, non dubito, quin te ipso judice causa cadant nostri, „imo veritatis adversarij." Ergone hos omnes tamquam quæstionis nostræ dirimendæ judices appellas, ita ut causâ cadat alterutra pars ab ipsis dijudicata, & *Veritatis adversarij* sint appellandi, quos omnes hi judices unanimiter condemnaverint? defero appellationi. Et jam demonstrabo, quod te ipso judice causâ cadas, & sis veritatis adversarius. Non possum sufficienter exprimere dolorem, quem ex audaci Vestrâ appellatione concepi. Quid? siccine vulgo imponis tam præclaros testes pro sententiâ tuâ fingendo? adducas, si possis nominatim testes tuos, & convincas ipsos de errore, quem effronter ipsis affingis. Quid? anne ausus est Clerus Gallicanus in dubium revocare, quod "nulli dubium est, imo sæculis omnibus notum est, „Sanctum, Beatissimum Petrum APOSTOLORUM PRINCIPEM, ET CAPUT, FIDEI„QUE COLUMNAM, ECCLESIÆ CATHOLICÆ FUNDAMENTUM, à Domino Jesu „Christo Salvatore nostro humanique generis redemptore Cælestis Regni Claves „accepisse, solvendique, atque ligandi potestate usum fuisse: nec non PER SUCCES„SORES SUOS huc usque semper vivere, CAUSASQUE DISCERNERE, semperque victu„rum esse." Sic in Concilio Ephesino I. actione. 5 exclamat Philippus Legatus, cui non solum omnes Patres consentiunt, verum etiam Authoritatem Pontificiam præclarioribus præconijs confessi sunt, ut patet ex Epistola ad Celestinum Papam missâ,

B ubi

(a) *Anacetus Papa epist. ad Episc. Galliæ d. 20. c. si Decreta.*

ubi non sibi etiam conciliariter congregatis, sed Pontifici solidum veritatis studium, & Ecclesiæ Fundamentum adscribunt, & lætabundi ita Pontificem affantur "san„ctitatis tuæ circa pietatem zelum, ejusdemque circa fidei sinceritatem, curam „nostri omnium servatori apprimè gratam, & placitam cum omni admiratione „complectimur. Est enim vobis tam eximijs in more positum, ut in omnibus ce„lebres sitis, studiaque Vestra solida Ecclesiarum fundamenta constituatis." Ecce incipiunt Judices tui te criminari, Illust. Dom. jam viam preparant ad Sententiam definitivam, quapropter, ne diu sis in anxietate, alios conjudices, quos appellasti, audiamus, & videamus. an ipsorum judicium sit aliorum jam citatorum sententiæ conforme futurum, cum in Concilio Chalcedonensi act. 2. lecta fuerat Epistola Leonis Papæ ad Flavianum de incarnatione verbi conscripta, solius Petri per Leonem loquentis sententiæ tam unanimiter acquievêre, ut mirificis laudibus Pontificiam infallibilem authoritatem prosequentes, eam his aureis verbis canonizare dignati fuerint, *Hæc Patrum Fides*, inquiunt, *omnes ita credimus. Orthodoxi ita credimus. Anathema, qui non ità credit, Petrus per Leonem ita locutus est, Apostoli ita docuerunt, pie, & vere Leo docuit.* Nec fuerunt illi Patres conciliariter congregati unicâ suæ sententiæ declaratione contenti, sed & ultimâ allocutione ejusdem Sacræ Synodi apud Marcianum Imperatorem sibi constantes hæc de eodem Leone manifestè proferunt, *Nobis* IMPENETRABILEM IN OMNI ERRORE PROPUGNATOREM DEUS PROVIDIT, ET ROMANÆ ECCLESIÆ PAPAM *ad Victoriam præparavit, & doctrinis eam per omnia veritatis adstringens, & quem admodum Petrus, & hic affectu ferventiori decertans* OMNEM *apud Deum* SENSUM, ET INTELLIGENTIAM *perducat.* Anne Hi Patres juris sui obliti *Aulico* tantum *More* (uti nobis imponis) *Leonem* vocarunt impenetrabilem in omni errore propugnatorem, & in corde suo aliter sentientes sese arbitrati sunt esse fidei custodes, & arcanorum infallibiles definitores? absit sexcentis illis Patribus hanc fallaciam affuere, qui in Epistola Synodali ad eumdem Leonem humiliter ejus authoritatem agnoscentes ita eructant, *Procul dubiò à Vestrâ Providentiâ inchoari hoc bonum volentes, ut sicut fidei, sic bonæ ordinationis deputetur effectus.* An non manifestè hic fidei effectum *Leoni*, non sibi attribuunt illi Sancti Patres? Quid ergo Galli prætendunt à Summo Pontifice eumdem auferre? Sed cito audaciam suam dispostituri sunt, dum à Judicibus, quibus per appellationem se sistunt, convicti fuerint. Eodem modo quo antedicti te judicant *Thebaidorum* & *Lybiorum* Episcoporum verba in Epistola ad *Felicem* Papam, item & *Stephanus* Archiepiscopus cum trium Conciliorum Africanorum Patribus in Epistola ad *Damasum* Summum Pontificem, sed quia tenor verborum est fere idem cum illis, quæ *Athanasius* cum suis Episcopis in Alexandrina Synodo congretatis contexuit, ideo illa sola proferam, quæ sic sonant, *Tu Prophanarum Hæresium, & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, ut princeps & DOCTOR*, CAPUTQUE OMNIS ORTHODOXÆ DOCTRINÆ, ET IMMACULATÆ FIDEI *existis*; Sic Pontificem alloquuntur. An non iterum solus Pontifex immaculatæ Fidei Doctor infallibilis enunciatur? Quomodo ergo tam fidenter pronuncias Folio 25. Epistolæ vestræ? "Si Christus Dominus infallibiles constituit Petri Suc„cessores eos profectò constituit, ut nostræ Fidei sint custodes, eamque certo de„terminent. Usque adeone ergo suam deinceps deseruit Ecclesiam, ut Fidei infal„libilis regula semel ab ipso constituta per septemdecim sæcula dubia remanserit?"

Er-

Erras, illustrissime Domine, eo turpius, quo magis affectatâ ignorantiâ hæc pronuntias. Non fuit hæc infallibilis regula per septemdecim sæcula dubia, sed omnino certa, & indubitata omni sæculo, omnesque omnium sæculorum Patres tam conciliariter congregati, quam per totum terrarum orbem latè dispersi hanc infallibilem fidei Regulam secuti sunt, ut testantur trium Conciliorum Africanorum Patres in Epistola Synodali ad Theodorum Papam his verbis, "Magnum & indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter largissime Universum irrigantes Orbem Christianorum; cui etiam in honore Beatissimi Petri Patrum Decreta peculiarem in requirendis Dei rebus, quæ omninò, & sollicitè debent, maximè vero justèque ab ipso præsulum examinare vertice Apostolico, cujus vetusta sollicitudo est, tam MALA DAMNARE, QUAM PROBARE LAUDANDA. Antiquis enim regulis sancitum est (ecce quomodo hi Patres non tantum agnoverint Papam ut fidei regulam animatam, sed & ex antiquitate illud ipsum probent) ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur provincijs, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus authoritate justa, quæ fuisset pronuntiatio, firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta salutis.

Non ignoras hanc antiquam sententiam, quia nimius es antiquitatis scrutator, sed ex præoccupato spiritu prætergrederis eam, & fingis te ignorare summum Pontificem fuisse olim ut infallibilem fidei regulam ab omnibus Christicolis habitum. Non possum hoc ita deserere, sed debeo hunc tam crassum vestrum errorem, ne dicam mendacium copiosus refutare. Anne latuit, vel dubia fuit hæc nostra fidei regula animata summus Pontifex Patribus Concilij Carthaginensis, dum in Epistola ad Joannem Papam prorumpunt in hæc verba? "Potest sedes Apostolica tale nobis dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat. Convenire charitati credimus, ut quid habeat sensus noster in publicam notitiam nemo perduceret, *Nisi prius definitio Romanæ Ecclesiæ proderetur.*

Ausus es adhuc dicere dubiam fuisse septemdecim sæculis infallibilem fidei regulam a nobis assertam, cum tam manifestè hi Patres eam agnoscant, ut sine Pontificis definitione decreta sua publicare non audeant ut infallibilia? ubi ergo latebit infallibilitas, si Patres illi congregati sibi illam non attribuant, sed apertis verbis denegent, & nec sit apud Pontificem? si possis latibulum illud assignare, assigna, lubenter discam. Interim tamen ego lubenter me jungam antiquitati, nec a veritate recedam, ut principibus aduler, sed depositum sanctorum Patrum custodiam usque ad extremum vitæ halitum. Adhærebo Patribus Concilij Turonensis secundi, qui c. 21. postquam lectum fuerat Decretum Innocentij Papæ, sic exclamarunt. "Quis Sacerdotum contra decreta talia quæ a sede Apostolica processerunt agere præsumat? & quorum authorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper intromisit? & Patres nostri hoc semper custodierunt QUOD EORUM PRÆCIPIT AUTHORITAS." Scio quid fortè obgarries ad hæc verba; ideo non illis tantum contentabor, sed & alia subjiciam, quibus probem summum Pontificem a sæculis fuisse habitum, ut fidei regulam, & Magistrum infallibilem: hoc novit Orientalis Ecclesia, quæ vehementioribus angustiata pressuris,

&

& arctata malis, tandem ad *Symmachum* Papam tamquam ſupremum paſtorem, in quo Eccleſiaſticæ reſidet authoritatis plenitudo, confugit, eumque interpellavit auxilium petens, atque remedium, accipe Verba. " Feſtina ad liberandum nos, quia non in li-„ gando tantum poteſtas eſt tibi data, ſed in ſolvendo quoque diu vinctos ad imitatio-„ nem magiſtri, neque in eradicando vel diruendo, ſed in plantando, & ædificando. Amplius adhuc ſcrutemur antiquitatem, ut ampliori confuſione veſtrâ error veſter proſcribatur. Audi *Aſcanium* Epiſcopum Tarraconenſem cum ſuis ejuſdem provinciæ Epiſcopis in Epiſtola ad *Hilarium* Papam adverſus Sylvanum his verbis eumdem Pontificem venerantem, " Nos Deum in vobis primitus adorantes, cui ſine quærela ſervi-„ tis, ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, *Unde ni-„ hil Erroneè*, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præſcribitur." Si nihil erroneè ab Apoſtolica ſede præſcribitur ſecundum eorum Patrum ſententiam, numquid Apoſtolicum præſidem Romanum infallibilem agnoſcunt? agnoſcunt planè. Sed nihil novi declarant, ſed hoc fuerat ſemper Chriſtianis in confeſſo, nec ulli umquam dubium, ſiquidem " Prædeceſſorum noſtrorum, quibus etiam rerum actus pa-„ ternæ traditionis miniſtros, & rectæ fidei declarant fuiſſe cuſtodes," inquit *Hormiſda* Papa in epiſt: ad *Anaſtaſium* Imperatorem. Huic concinit *Joannes* Papa II. in epiſt: ad *Juſtinianum* Imperatorem: dicens " Amore fidei, Charitatis ſtudio, edocti Eccle-„ ſiaſticis diſciplinis, Romanæ ſedis reverentiam conſervatis, & ei cuncta ſubjicitis, & „ ad ejus deducitis unitatem, ad cujus authorem, hoc eſt Apoſtolorum primum, domi-„ no loquente præceptum eſt, paſce oves meas, quam eſſe omnium Eccleſiarum Caput „ & Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant." Quam procul ab his diſtas Illuſtriſſime Domine! Unde colligo D. V. vel feſtina manu ſcripſiſſe non ſcrutando antiquorum de Papæ infallibilitate judicia, vel nimia præſumptione ſcientem & volentem te Pontifices impugnare, quia non ſolum Eccleſiaſtici, ſed & Chriſtiani Monarchæ hanc veritatem modo à me ſtabilitam agnoverunt. Hinc Juſtinianus ad Agapetum Papam, inquit, *Noſtri ſtudij eſt emergentes fidei cauſas ad Apoſtolicæ Sedis veſtræ referre Judicium.* Idem conteſtantur Valentinianus Imperator, Eudoxia ejus Uxor, & Galla Placidia ejus Mater in epiſt. ad Theodoſium, *cum Beatiſſimus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit* (ecce iterum non ſolum ex ſui temporis teſtibus, ſed ex præcedentium temporum Chriſtianis confirmatum, quod Papa ſit infallibilis fidei præceptor) *locum habeat ac facultatem* DE FIDE, *ac Sacerdotibus judicare. Hac enim gratia ſecundum ſolemnitatem Conciliorum, & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per Libellos appellavit, propter contentionem, quæ orta eſt* DE FIDE. Habes nunc ex teſtibus ſeptemdecim ſæcula præcedentibus ſummum Pontificem fuiſſe fidei controverſiarum unicum definitorem, cum & Concilia, & Patres, & Pontifices, unanimiter hoc aſſerere tibi monſtraverim, ſed & amplius per eoſdem antiquos teſtes comprobabo; qua ergo fronte aſſeris, quod per ſeptemdecim ſæcula hæc viva fidei regula occulta permanſerit? ſed quod omnium eſt peſſimum adhuc te pænituit tam effrontis reſolutionis, non ut eam corrigeres, ſed ut eam confirmares, dum impudenter evomis, *Sed quid dico per ſeptemdecim ſæcula? errore vulgi abripior. Neque enim aperte innotuit error, quem jam inſectamur, niſi undecimo exeunte ſæculo.* ô Præoccupatum ſpiritum! ſiccine doctrinæ veſtræ veneno infectus es, ut audeas vel illos judices cenſurare de errore, quos ipſemet appellaſti? petiviſti traditionem Eccleſiæ, Conciliorum

liorum, & summorum Pontificum Gregorij VII. majorum decreta: dedi tibi, & illos nunc tamquam errore infectos insectaris? appage, fera pessima devoravit D V. & nisi tangeret hæc materia bonum commune, charitatis scripta denegarem: sed quia non D.V. tantum, sed & omnes Christianos tangit, & maxime illos, qui curę tuę commissę sunt, Gallos, quos D V perniciosis vestris principijs per publicationem Epistolę vestrę imbuisti, ego autem in Evangelio, Christo, atque Pontifici obedientes Filios gignere desidero, ideo ampliori stylo ex undecim sæculorum testibus à te appellatis confecto tibi veritatem hanc demonstrabo, & indiscriminatim Pontificiam infallibilitatem, & supra Concilia authoritatem patefaciam. Utrumque simul probat Innocentius I. in Epistolis 1. 2. 3. 21. Item 26. quæ est ad Concilium Milevitanum à quo super nova Pelagij hæresi consulitur; & ita respondet: *Diligenter ergo, & congruè consulitis Apostolici honoris arcam. Honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxijs rebus, quæ sit* TENENDA SENTENTIA. Quam confidenter loquitur Pontifex patribus illius Concilij? Concilium consulit Papam tamquam judicem competentem, & Papa resolvit sibi jus competere de determinatione, quæ sit sententia tenenda: numquid ergo & Concilium, & Papa censent apud Petri Successores residere infallibilem authoritatem? censent plane, quia "Patrum traditio „ Apostolicæ Sedi authoritatem tantam tribuit, ut de ejus judicio disceptare nullus au- „ deret, idque per Canones semper regulasque servaverit: & currens adhuc suis legibus „ Ecclesiastica disciplina Petri nomine, à quo ipsa quoque descendit, reverentiam, „ quam debet exoluat. Tantam enim huic Apostolo Canonica antiquitas omnium „ voluit esse potentiam ex ipsa quoque Dei nostri promissione, ut & ligata solve- „ ret, & liganda vinciret." Sic Zozimus Papa in epist: ad Aurelium & Concilium Carthaginense. Eia, Illustrissime Tornacensis, Patrum contemnas Traditionem, & Canonicam antiquitatem pro Pontificia infallibilitate allatam, ut tuam manu teneas odiosam sententiam: sed Patrum traditionem, & Canonicam antiquitatem, *sine periculo nullus temere incessit*, inquit ibidem *Zozimus* Papa.

Periculo ergo te eruas, antiquitatem venerando, & ex illâ sententiam tuam mutando. Periculosum certè est talem doctrinam spargere in re tanti momenti, & eam non posse fulcire aliquo vel Sanctorum Patrum, vel summorum Pontificum, vel Conciliorum effato, quin imo & Sanctos Patres, & summos Pontifices, & Conciliorum Constitutiones habere adversarias. Adversarios sese tibi declarant omnes Episcopi Egyptij in *Alexandrina* synodo congregati, dum in Epistolâ ad *Felicem* summum Pontificem de infestationibus Arianorum conscriptâ sic debuccinant. "Pater beatissime, „ quia semper Antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta Sede auxilium hau- „ simus, & nostri vos curam habere cognovimus, præfatam Apostolicam sedem & „ summam experimus juxta Canonum Decreta sedem, ut inde auxilium hauriamus, „ unde prædecessores nostri ordinationes, & DOGMATA, atque sublevationes cæ- „ perunt. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ip- „ sam formam universorum titulorum lucidissimam Dominus Jesus Christus vestram „ Apostolicam constituit sedem: ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ „ vertuntur, sustentantur, relevantur." Quid clarius? quid elegantius posset Pontificis superioritatem, & infallibilitatem commendare? agedum Illustrissime Domine, & tu illam agnoscas, quia *revera dignum est illa excellentissima voce, qua te beatum prædicavit,*

C *quod*

quod pietati tuæ donatum à domino est, ut quod adulterinum est à puro secernas ac fidem Patrum sine ulla subtractione prædices, sic Pontificem affatur Gregorius in Epist. data sabino diacono. Hinc hujus solius Pontificis Authoritatem sufficere ad rem Fidei declarandam libere protestatus est S. Hieronymus Epist. 57. ad Damasum dicens, *si placet, obsecro, non timebo tres Hypostases dicere, si jubetis; quamobrem obtestor beatitudinem tuam per Crucifixum; mundi salutem, per Homousion trinitatem, ut mihi Epistolis sive tacendarum, sive dicendarum Hypostaseon detur authoritas.* Item Epist: 58. in solius Papæ definitionem fidem suam refundit, postquam enim dixerat Ecclesiam in tres partes esse divisam ita prosequitur. *Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri est, meus est, possim credere si hoc unus assereret, idcirco obtestor beatitudinem tuam, ut mihi litteris eis apud quem in Syria debeam communicare significes.* Ecce quid Viri Sancti Ecclesiæ Doctores atque Lumina Clarissima sentiant de Pontificis definitione, quam solidam, firmam, infallibilemque agnoscant, noverunt enim, *Quod sicut id quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum Ecclesia tota suscipit*, inquit Gelasius Papa in Epist. ad Episcopos Dardaniæ, sive ergo Concilia determinent, sive non determinent, quia semper requiritur ab Apostolica Sede confirmatio, & si illa approbet, & censeat esse tenendam Concilij Sententiam, Ecclesia tota tunc ut Sancti Spiritus oraculum suscipit, antea autem nullo modo, quia *sine Sedis Apostolicæ authoritate, atque consensu nullas, quæcumque acta fuerint vires habeant*, inquit Gregorius I. in Epistola ad Orientales agens de Concilio Constantinopoli congregando. è contra autem illa, *Quæ semel Apostolicæ Sedis Authoritate sancita sunt, nil egent firmitatis*, inquit idem in Epist. 125. in hac doctrina sibi constantes sunt omnes Pontifices, imo & omnes Ecclesiæ Patres etiam *In Concilijs Congregati*, qui non suam, sed Pontificis authoritatem amplexati sunt eique semper finalem definitionem adscripserunt, quam quidem non ipsi condiderunt, sed ex Papæ ore infallibili didicerunt, & post ipsum eam admittentes prædicarunt, audi *Agathonem* Papam, qui Romæ congregato Concilio adversus Monothelitas inde litteras misit ad Constantinum Imperat: in qua non Concilio sed sibi infallibilitatem, & in Fide immobilem constantiam in Ecclesia servandam adscribit, & probat ex Christi promissione, ex Synodorum declaratione & totius Ecclesiæ consensu, lege Verba "Petrus spiritales Oves Ecclesiæ ab ipso redemptore omnium terrena „commendatione pascendas suscepit, cujus annitente præsidio hæc Apostolica Ec„clesia numquam à Via Veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus authori„tatem, utpote Apostolorum omnium Principis semper omnis Catholica Christi „Ecclesia, & Universalis Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, om„nesque Venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi" Hoc semper in Ecclesia viguit, omniaque Concilia & verbis, & factis protestate sunt sese Papam Decretorum suorum confirmatorem necessarium agnoscere. Sic Synodus Romana sub *Felice* Papa anno secundo in Epist. ad Presbijteros & Archimandritas Orthodoxos Constantinopoli & Bijthiniæ consistentes de Pontifice testatur his verbis. "Quoties intra Italiam propter Ecclesiasticas causas præcipue Fidei colliguntur Do„mini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut Successor Præsulum Sedis Apostolicæ „ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta sollicitudinem omnium Ec„clesiarum sibi competentam cuncta constituat, qui est Caput omnium Domino „ad Beatum Petrum Apostolum dicente *Tu es Petrus* &c." Quam vocem sequentes

tes 300. decem & octo Patres apud Nijceam congregati confirmationem rerum atque authoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Nec immerito, quia "Om-„nes fines terræ, quæ Dominum sincerè receperunt, & ubique terrarum Catho-„lici veram fidem confitentes in Potestatem Romanorum Pontificum tamquam in „solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ Fidei recipiunt." Sic Maximianus Episc Constant. in Epist. ad Orientales. Habes hic *Illustrissime Domine*, testes præteritorum sæculorum, ad quos provocasti, & nondum D. V. pudet audacis appellationis, cum omnes & singuli vobis tam aperte adversentur? Sed & Domesticos scrutare antiquos Episcopos & depræhendes eos à vobis longè recedere.

Videas quadraginta quatuor Episcopos in *Gallia* Narbonensi congregatos, ubi synodaliter convenientes Epistolam S. Leonis de incarnatione ad Flavianum missam mirificè extollunt, & Papam ut vere Religionis fontem deprædicant in Epistola Synodali, & tandem concludunt. "Quod nos ante oculos habentes non desine-„mus Deo Domino nostro gratias agere, quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tan-„tæque Doctrinæ Apostolicæ Sedi, unde religionis nostræ propitio Christo fons & „origo manavit antistitem dederit."

Vides nunc quam unanimiter antiqui Patres agnoverint Pontificem esse infallibilem fidei regulam? si tamen his non acquiescas accipe & alios. Patres sextæ Synodi Generalis non sibi suæque multitudini esto in nomine Christi congregatæ adscribunt infallibilitatem, sed eam totam in *Agathonis* Papæ authoritatem refundunt, unde gloriantur act. 18 "Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum princeps, illius enim „imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem & divini Sacramenti myste-„rium illustrantem per litteras. Confessionem tibi à Deo inscriptam illa Romana „antiqua Civitas obtulit, & dogmatum diem à Vespertinis Partibus extulit. Charta „& attramentum videbatur, sed per *Agathonem Petrus* loquebatur." Unde in Epistola Synodali pro confirmatione ab *Agathone* petenda manifestè rursus fatentur omnes Patres Pontificiam superioritatem, & omnium actorum dispositionem, an exequenda vel ommittenda sint, eidem adscribunt his verbis: "Christus verus Deus „noster virtus verè rerum omnium conditrix & gubernatrix, sapientem dedit me-„dicum vestram à Deo honoratam sanctitatem, contagia hæreticæ suis fortiter „propulsantem remedijs orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ lar-„gientem. Itaque tibi ut primæ sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum „sit permittimus stanti supra firmam fidei Petram, acquiescentes veræ confessionis „litteris à vestra paterna beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas ut à „summo Apostolorum vertice divinitus scriptas agnoscimus, per quas exortam nu-„per multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus:" siste gradum & attende quomodo hi Patres non sua constitutione, sed *Agathonis* Papæ infallibili doctrina in Epistolis contenta hæreticas sectas depulerint, illum quippe *Ecclesiæ fundamentum cælestis regni Janitorem, & in terreno judicio judicem Cæli Satanæ convincio Christus nuncupavit* ait Hilarius in psalm. 131. Etenim ad Pontificem *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio* ait Irenæus l. 3. c. 3. si necesse sit ad Pontificem in dubijs recurrere numquid ipse necessarius est Christianorum consiliarius? quis negabit? cum sciamus *ob hoc divina gratia fuisse ad fastigium Sacerdotale provectum, &*

& in quadam Sacerdotum Dei specula constitutum ad probibendum illicita, & docendum sequenda. Fabianus epist. 3. ad Hilarium. Nec est quod recurrant ad Conciliorum authoritatem nostri adversarij cum jam manifeste ex concilijs convicerim ipsis nullam inesse authioritatem sine Pontificis approbatione imo exploratum habemus *Apostolos eorumque Successores inspirante Domino constituisse, ut nulla Synodus fieret prater ejusdem Sedis authoritatem. Marcellus* Papa epist. 1. idque libera voce protestatus est Lucentius Apostolicæ Sedis Vicarius in Concilio Chalcedonensi act. 1. *Judicij sui ipsum* (scilicet Dioscorum) *necesse est reddere rationem, quia cum nec personam judicandi haberet, subrepsit, & Synodum ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ, quod ritè numquam factum est, nec fieri licuit.* Restat ergo nullam sine Pontifice Concilijs inesse authoritatem, nec sententiam Papæ de rebus fidei à Concilijs posse reformari, ut testatur Gelasius Papa in commonitorio ad Faustum. « Si quantum ad religionem, ,,inquit, quæstio pertinet, non nisi Apostolicæ sedi juxta Canones debetur summa ,,judicij totius. Quopropter non veneremur ne Apostolica sententia resolvatur, ,,quam & vox Christi, & majorum traditio, & Canonum fulsit authoritas, ut to- ,,tam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet. Sed cogitent magis (si quis in eis ,,Religionis est sensus) ne pravitatem suam nullatenus deponentes apud Deum ho- ,,minesque sedis Apostolicæ perpetua constitutione damnentur." (Vide quibus hæc verba minentur) jam satis diu in consistorio judicum, quos appellasti, ventilata est causa tua. omnes uno ore te dijudicant, nec est unus ex illis, quos dedimus & parati sumus adhuc dare, qui vel umbram vestræ sententiæ confert, omnes agnoverunt Pontificem esse fidei regulam, quod tu tamen in dubium revocasti, & ideo tam superbè eructasti. Depone ergo arrogantiam nimiam certè periculosissimam, & imposterum compesce calamum, ex dictis etiam condemnabis dictum tuum fol 4. *Cum numquam in controversiam fuisset adductum sintne inerrantes Romani Pontifices, an possint errare, inde colligitur semper Romanum Pontificem sicut & cæteros homines habitum fuisse errori obnoxium.* Quamvis falsam nuper ostenderim hanc consequentiam vestram ex non disceptatione deductam, falsæ insuper nititur suppositioni, quia Patres Conciliorum (illorum scilicet in quibus non fuit disceptatum) supponebant ipsum infallibilem fidei magistrum, non solum extra, sed & in Concilijs, uti invictissimè testibus omni exceptione majoribus stabilivi. Et hinc est quod ex illa non disceptatione expressâ sintne Romani Pontifices inerrantes, an possint errare colligi potius ipsum non posse errare, atque adeo tacitè sententiam nostram semper fuisse confirmatam. Quæ omnia in fine hujus Epistolæ aliter adhuc confirmabo.

Ex dictis etiam colliges, quânta æquitate Facultas Lovaniensis doctrinam Domini *Ægidij de Witte* Mechliniæ Decani &c. censuraverit, cum enim esset omnino antiquitati contraria, sicut vestra, & vestri Anonymi *Galli*, certè non minorem meruit censuram, quam illam. Profecto nescio, quomodo Illustrissima vestra gratia tam facile audeat ludibrio exponere *Clerum Gallicanum*, ac si sententiæ vestræ, & Domini *de Witte* subscripsisset: nonne prævidisti, quod si aliquando opinio vestra esset condemnanda, etiam indirectè in sortem vestram incideret Ecclesia *Gallicana*? an non judicabas hoc ei maxime injuriosum futurum, undè exspecto quod aliter mentem suam declaratura sit Ecclesia *Gallicana*, ne occasione Epistolæ vestræ plebeorum censuræ, & obloquio exponatur. Hoc enim foret stigma indelebile

lebile Ecclesiæ *Gallicanæ*, quod partes haberet in doctrina vestra *condemnata*, imo & nocivum foret toti regno, si credamus Vaticinio ex *Andrea Duvallio* in fine Tractatus de summo Pontifice desumpto, & sic sonante

Pax erit & toto florebit Gallia Mundo
Donec adherebunt Lilia Pontifici,
Pax erit & puro fulgebit Gallia flore,
Dum Claves cingent Lilia Pontificis.

An hoc adimpletum sit, vel adimplendum, vel docuit, vel tempus docebit. TU PLURA DOCEBERIS USU, *ad hujus ergo beatissimi Petri Sedem alacri pectore* REX CHRISTIANISSIMUS REDEAT, *& sicut cervus, cum quid sumpserit noxium, desiderat ad fontes aquarum, ita desideret, & sitiat anima ipsius ad salutifera ejus doctrinæ fluenta.* Sic Joannes Papa VIII. epist. 77. & tu Illustrissime Domine depone fastuosa illa verba, quibus impetis summum Pontificem. *Dum renuit ad Concilium venire factus est Æthnicus & Publicanus desinit ad Christum pertinere, desinit esse Primarium Ecclesiæ membrum.* Hæc certè dedecent plebeum, & vulgarem hominem Christianum, quanto magis Episcopum? *Dic age quis te in errorem induxit, ut æcumenicum Pontificem convicijs, & scommatibus lacesseres Sanctam Ecclesiam Romanam maledictis lacerares? cui oportet, ut summa cum veneratione te subjicias. Stephanus Papa* in Epist. ad Basil. Imp. sequere igitur potius exemplum Dardaniæ Episcoporum in responso ad *Gelasium* Papam sic effantium "Domine Sancte, Apo-„stolice & Beatissime Pater Patrum, desiderij, & voti nostri est jussionibus vestris „in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus nostris accepimus, Sedis Apo-„stolicæ, quæ vitæ & meritis vestris delata est, præcepta intemeratè servare, at-„que religionem orthodoxam, cujus estis Prædicatores, fideli, & inculpatâ devo-„tione, prout nostræ rusticitatis sensus patitur obedire." Sic ergo corde contrito, & humiliato te Pontifici prosternas, & gaudeas te ab ipso didicisse errorem vestrum corrigere, & ostendas te velle jussa ejus capescere, & in omnibus integrè voluntati ejus satisfacere.

Hæc eo sunt scripta animo ab obedientissimo Summi Pontificis Filio, ut errorem suum non solum *Illust. Vestra Gratia*, corrigat, sed & at illi, quos Alexander 7. *iniquitatis filios* appellavit, sese convertant & submittant definitioni infallibili: hactenus adversus vestram Epistolam, nunc simul parum contra alios novatores contra nomine tenus Catholicos scripserunt multi & scribunt, nec desunt, qui Doctrinam Vestram erroneam (Illust. Doctor) validis aggrediuntur argumentis (cum Epistolâ tuâ infallibilem Summi Pontificis aggrederis auctoritatem eamque more Gallico oppugnas) inter quos à paucis diebus non minus acute & solide (attamen religiose & humiliter) quam eximiè eximius P. F. FRANCISCUS JANSSENS ELINGA Brugensis S.T.D. *& Almæ Provinciæ Germ. Infer. Sacri Ord. Prædicat. Exprovincialis* &c. in suo libello BRUGIS impresso cum Superiorum Licentia & Approbatione typis PETRI VAN PEE Anno 1689. sub Titulo *Suprema Romani Pontificis authoritas* &c. quod opusculum cum legisti (uti & duas nostras priores Epistolas dum recepisti, irasceris & miraris Catholicos sic doctrinam tuam perniciosam perscrutari, præsertim dum os

Domini locutum eſt & tuba Romana ſonuit, infallibilis auctoritas damnavit) mirari deſine, non enim Leoni inſultamus mortuo, ſed (quamvis Romano fulmine tacto) circumneunti & quærenti ſupremam hanc poteſtatem devorare & practicè deridere conanti, dum reimprimi permittat & diſtribui (meliorem dum hanc incæpi de Illuſtriſſima gratia V. opinionem cæperam, ſed, certiùs nunc ſum informatus) reſiſtere conamur & Patris noſtri Sanctiſſimi jura tueri omni meliori & licito modo, & quidem *utile eſt* (teſte *magno Patre Auguſtino*) lib. 1. de trinitate cap. 3. tom. 3. *plures libros (plures epiſtolas) à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic*, quod autem me vocites Saul inter Prophetas, non me turbat, non enim gloriam ſed veritatem quæro & oſtendere ſatago, nec (quamvis apud Gallos videaris *Goliath*) parvus *David* in nomine Domini pugnans horreſcit certamen, ſunt & alij qui calamum aptant in arenam brevi tecum deſcenſuri, niſi mundo conſtet Illuſtriſſimam veſtram Gratiam realiter obediviſſe decreto, ſimulque ſubditos ad obedientiam compuliſſe Sanctiſſimi ac infallibilis *Innocentij XI.* (cui omnia mea ſcripta aut ſcribenda omnimode ſubmitto, ac interim dum alij arma parant, & aliqui fortè priores noſtras non legerint in juſtam Sanctiſſimi Patris defenſionem ex armamentario noſtro compendiosè aliqua hic addenda produco breviterque repeto, ut ſciant omnes, quia *Innocentius XI. Univerſalis Eccleſiæ militantis Caput viſibile, in rebus fidei infallibilis ac neceſſarius Magiſter eſt, toti Eccleſiæ etiam* CONCILIARITER *congregatæ prædominans ſupremuſque Monarcha &c.* nec verbis ludendum, ſed doctrina proponenda & probanda, ut enim *d. diſtinct. 86. c. Cum multa.* In docendo Sacram Scripturam, non *Grammaticam* Epiſcopus exponere debet; hæc ab Epiſcopo, Doctore, Conſiliario in reſponſione exſpectamus; cui alijſque novatoribus quam breviſſime ſequentia expono conſideranda

Noſtræ veritas defenſionis fundatur *Matth.* cap. 16. dicente Chriſto *Tu es Petrus &c. Tibi dabo Claves &c. Quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* ejuſdemque promiſſi executio parvo ante aſcenſionem tempore facta *Joan.* 2. hiſce verbis ſine ullâ dependentia aut limitatione *Paſce oves meas &c.* Paſtor ſupra oves, *Innocentius XI.* ſupra Eccleſiam, Pontifex ſupra Concilium.

Confirmationem dat nobis Concilium Generale Florentinum anno 1439. dicens *Definimus ut fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur* (audite gentes Gallicæ, ſuſcipite doctrinam ſanam, attendite ad Illuſtriſſimum Tornacenſium Epiſcopum (cujus verba in initio poſita hic repeto) dicentem ô utinam veraciter; *Galli ſtant à Conciliorum partibus: ſed ſummos Pontifices à Chriſto Domino tamquam Petri Succeſſores,* TOTI ECCLESIÆ *præfectos venerantur, ipſis obedire jure divino ſeſe teneri prædicant ſupra tecta, ita docent ſummos Pontifices rebus Eccleſiæ providere, ut eorum* DECRETA, *quoad* FIDEM *& quoad* MORES, *ſecundum Canones, & antiquas & laudabiles nationum conſuetudines, amplectenda ſunt, donec ex toto Orbe Sacerdotes congregentur.* Si verum eſt Illuſtriſſime Præſul veſtrum de Gallis teſtimonium audiant verba Sacerdotum in præfato Concilio ex toto orbe congregatorum; quæ hæc ſunt (uti & oſtendimus in prima noſtra Epiſtola & habentur in præfato Concilio Florentino p. 2 collat. 22.) " definimus Sanctam Apoſtolicam Eccleſiam, &
„ Roman: Pontificem in univerſum orbem tenere primatum & ipſum R. Pontifi-
„ cem

„cem Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum & verum Christi vica-
„rium totiusque Ecclesiæ Caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem
„& ipsi (INNOCENTIO XI.) in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi uni-
„versalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam
„esse." Generale erat Concilium, præsidebat Papa, sine quo nec Ecclesiam repræsentabat universalem.

Illust. Gallorum Doctor, fateris Concilia Generalia esse infallibilia, scias eadem fallibilia nisi infallibilis presideat Pontifex, oculos ut spero aperiet Concilium Generale anno *Laterenense* 1516. "ubi definitur: solum R. Pontificem tamquam super
„omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferen-
„dorum, ac dissolvendorum, plenum jus ac potestatem habere, nedum ex Sacræ
„Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum & aliorum Pontificum, sed su-
„pra etiam earumdem Conciliorum confessione manifestè constat, quorum aliqua
„referre placuit, reliqua vero notoria silentio præterire &c.

Ibidemque plura exempla proponuntur & argumenta convincentia quod Concilia cum omni humilitate summo obediverint Pontifici, & sic omnes Sacerdotes ex toto orbe congregati (nequidem uno excepto) sic judicarunt, attamen de eorumdem agebatur potestate, sed Sacræ Scripturæ testimonio & dictis SS. Patrum convicti subsignarunt, vide sess. 11. & subsigna; commoveat Illustrissimam V. G. quoque aliud Lateranense tertium anno 1160. cap. 1. dicens *de modo eligendi summi Pontificis ..... in Romana Ecclesia aliquid specialiter constituitur, quia non potest ad superiorem haberi recursus*, unde bene considerandam proponit Papæ electionem: quia electus nec judicari, nec puniri, nec deponi potest.

Aliorum enim *hominum causas Deus voluit per homines terminari* (verba sunt ennadij diaconi, cujus liber in Concil. Rom. sub Symmacho approbatus; *Sedis istius præsulem suo* SINE QUÆSTIONE *reservavit arbitrio, voluit Petri Apostoli Successores Cælo tantum debere innocentiam.* Et quod clarius quam Act. 7. Concil. 8. Constantinopolitani anno 870 Dicentis: "non ferenda est hæc audacia [ruminent hæc cum suo Pastore Oves]
„inauditum hactenus est R. Pontificem à cæteris Ecclesijs esse judicatum, sed alias
„omnes ab illo judicatas scimus ..... ita igitur novimus universi Ecclesiam
„Romanam aliorum esse judicem, ab alijs autem non judicari huic declara-
„tioni omnes subscripsimus;" Ecce Conciliorum Decreta (*Galli*) & super tecta predicate; subscribat *Gilbertus* Illustr. signet *Egidius de Witte* Libellis contra Pontificem notissimus alijque sese novatores conforment; si Catholici esse velint nec sese Doctori Parisiensi *Richerio* jungant anno 1612. contra sedem Apostolicam ac supremam summi Pontificis auctoritatem debachanti, tantumque scandali causanti, ut Eminentissimus Cardinalis *Peronensis* tum *Senonensis* Archi episcopus, Co-episcopos congregare debuerit, qui omnes hanc *Richerij* doctrinam, qua Pontificem Concilijs submittebat totaliter, tamquam hæreticam & scismaticam condemnarunt, ipseque *Richerius* Regio sacræque facultatis Decreto syndici officio fuit privatus tandemque anno 1629. (instruente Eminentissimo *Card. Du Richelieu*) retractavit & Confessus est & non negavit, quia *Pontifex Romanus est supra Concilium & Infallibilis Ecclesiæ Doctor Universalis: ejusque Decreta tam quoad fidem, quam quoad mores amplectanda sunt omni cum obedientia*; Confiteantur hoc omnes aut suis munijs merito *priventur*

 aut

aut aspirantes *excludantur*, ne Ecclesiam turbent, regna pervertant & animas perdant.

Sic Papa *Nicolaus* in Concil: Generali Constantinopolitano anno 870. Episcopum Syracusanum nomine *Gregorium*, quia *Photium* consecravit, omni dignitate privavit inhabilemque declaravit, *Sic ut nullam ab ulla Synodo Spem recuperandæ dignitatis habeat*; timendum est (si Concilium ad quod appellatur congregetur) idem ut accidat refractariis S. Sedis, unde nunc tam decreto Regio quam Pontificio aspirantes excludendi & exclusi sunt a sacra stricta facultate *Lovaniensi*, illi qui non nisi *Oretenus* sese bullis supremi ac infallibilis monarchæ submittunt: huic obediendum, nulla hac manutenentia ficto querenda titulo, aut falso colore fingenda appellatio, nec universitatis alicujus sigillo abutendum est ut mihi scribitur alicubi factum, sed constans in jure regula *ad superiorem appellandum*; irridendus contra Pontificem conatus, explodenda contra Regem astutia, è contrario ad Regem Papamque humiliter recurrendum, imo ab ipsis Concilijs ad Pontificem appellatur, exemplo vobis sit appellans *S. Athanasius* a *Concilio Anthiocheno generali* per infallibilem ac supremum monarcham sedi suæ restitutus, item de 2. concil: *Ephesino* ad *S. Leonem* appellante *Theodoreto* Episcopo *Cyrenensi*: sententia reformata, & ipse est restauratus, sic factum *Paulo* Episcopo *Constantinopolitano* per *Julium* Papam, in epistola vestra ais *poterat solus leo & vulneratam fidem sanare & depositum suæ sedi restituere Flavianum*. Et præmiseras, *si & infallibilem se fidei custodem & Episcopum Episcoporum Leo se credidisset*; argumentum tuum non concludens altera ostendi epistola; nunc solum addo: *Flavianus* appellavit ad *Leonem*, sed ante appellationem acceptatam vita functus per *Leonem* restitui non potuit, nihilhominus postea *Leo* sententiam depositionis in 2. concil: Ephesino cassavit; similiter & *S. Chrysostomus* appellans restitutus est; consule, silibet, ecclesiasticas historias exempla plurima invenies. Romanæ obedi Ecclesiæ, *siquidem ad* ILLAM *de qualibet mundi parte appellandum est ab illa autem nemo est appellare permissus* 9. q. I. *Cuncta* non appellatur a Pontifice ad Concilium (nisi forte a Gallis eisque adherentibus inter quos numerandus eminentissimus Cardinalis *Furstenbergius*) nam ut ultimus concil: Rom: canon sub Silvestro, *nemo judicabit primam sedem*, & mementote quid patres CONCILIARITER congregati S. Marcellino (qui graviter deliquerat) protulerunt, hæc eorum sententia, *prima sedes a nemine judicatur*; recipisce ergo, sententiam muta, appellationem desere, bonum capesse consilium, sero enim sapiunt Phryges nam *omnes judicat Papa & a nemine judicatur*. CAP. CUNCTA PER MUNDUM 9. q. 3. *neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a Regibus, neque ab Apostolis Judex judicabitur*; CAP. nemo 9. q. 3. memento Illust. D. quod *sedis istius præsidem suo Deus sine quæstione preservavit arbitrio* CAP. ALIORUM 9. q. 3. *nullum Papa habet superiorem* CAP. LICET *de election: id circo ab eo non appellatur* D. CAP. CUNCTA PER MUNDUM 9. q. 3. *appellatio enim est de minori judice ad majorem provocatio* CAP. ANTERIORUM 2. q 6. & si bene jura introspicias Illust. Doctor, scienti enim jura scribo, *non appellatur ab Imperatore nec a sententia præfecti prætorio* I. unica COD. DE SENTENT: PRÆFECTI PRÆTORIO *multo fortius nec a Papa appellatur, cum ejus potestas sit longe major imperiali* CAP. solitæ de majoritate & obedientia. Et CAP. Duo sunt distinct. 96. vis ulteriora Illust. Præsul? Ecce dabo libenter: *appellantes à Papa ad futurum Concilium*. In Bulla JULY II. declarantur *Hæretici, Hæreticus est, qui detrahit privilegium* Rom: Ecclesiæ: CAP. distinct. 22. nam *totum corpus Ecclesiæ inde auctoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiæ posuit principatum* CAP. CONCILIA distinct. 17. dubitas ne adhuc

huc de antiquitate ? quæris 17. prima sæcula ? *Apostoli spiritu Dei pleni hoc ipsum voluerunt, quod ipse Petrus* (nunc Innocentius) loco Dei *omnibus præesset* CAP SACROSANCTA distinct. 22. utpote *Vicario Creatoris omnis creatura est subjecta* Innocentius in CAP: 2. de translation Prælator: *Cum enim dixit Christus: quodcumque solveris super terram &c. nihil excepit* CAP. solitæ de majoritate & obedientia CAP 2. Romanorum dist. 19. *De omni Ecclesia habet fas judicandi* CAP. 18 causa 9 q. 3. *Nec est qui ei dicere possit cur ita facis* CAP. in memoriam dist 19. denique quæstiones fidei sunt referendæ ad Papam cap. majores de Baptismo: *alijs imperatur, ut laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur, duc in altum hoc est; in profundum, disputationum &c* Vide Ambrosium ad cap. 5. Lucæ habetur in cap non turbatur 24 q. 1. Illustrissime Domine, *Constantinopolitanum* attende concilium cui præsedit *Menas* Patriarcha dicens *Apostolicam Sedem sequimur & obedimus*; presente *Carolo Magno* Imperatore, dum *Leo III.* accusaretur, Romanum concilium personam Pontificis à nullo judicandam declaravit. Signa submissionis Pontifici concilia tamquam subdita præstiterunt sæpissime; patet in Concilio Generali *Ephesino* anno 430. ubi mandato Papæ *Nestorius* Sede sua Constantinopolitana pulsus est, vis plura ? in Generali Chalcedonensi anno 454. legas actione 16. *Beatissimus & Apostolicus Vir Papa hoc nobis præcipit*. Adjungitur quod ut membra, *Patres* sed caput ipsorum *Pontifex, quibus tu quidem* (scribunt *S. Leoni* Papæ) *velut membris ut Caput præeras*; reflectant ad hæc verba (si placet) NOVATORES, *præcipit, caput, præeras*, quæ vere non subdito sed superiori conveniunt.

Illustrissime Præsul scis quod *Beatissimus & Apostolicus Vir Papa* INNOCENTIUS XI. hoc tibi præcipit, ut à tua jam satis convicta & damnata abstineas doctrinâ ac impressionem & retentionem impedias Epistolæ tuæ Famosæ Patri præcipienti obediat Filius, nisi Absolonis instar rebellis puniendus, agnoscat si calamo duriuscula excidant verba, me cogit fidei ardor & erga Patrem obedientia, quam tam enormiter proscindis hactenus; meliora dent superi non solum Illust. D. V. sed & alijs, S. Sedis filijs inobedientibus seu melius iniquitatis, dicite corde sincero, practicate obedientia non ficta, *Apostolicam Sedem sequimur & obedimus*, *Beatissimus & Apostolicus Vir Papa* INNOCENTIUS *hoc nobis præcipit* & sufficit, & tanquam Fratres Catholicos vos diligemus, ut filios obedientes recipiet Pater S S. Regna seditiones evadent plures, animæ pericula, nosque libellos famosos & persecutiones quotidianas. Dum ergo infallibilis Pontifex comdemnat, resonam date vocem *Obedimus* & ecce facta sunt omnia, dicite *hoc nobis precepit* & ideo *Obedimus* libenter; recogitate ergo, quod S. Pater INNOCENTIUS X. damnaverit feria 5. die Jan. 1647. librum Gallico idiomate cui titulus, *de l'authorité de S. Pierre & S. Paul, qui reside dans le Pape Successeur de ces deux Apostres*, *Illust. Domine* cum tuo copista (quem bene instruxisti) *Ægidio de Witte* Gandavensi, (*Albo* aut *Candido* uti sese quotidiano pro velamine transformat in suis libellis) *Apostolicam Sedem sequere & obedi* nec minus ejusdem infallibili definitioni, quoad propositiones *Cornelij Jansenij* anno 1653. pridie Kalendas Julij alijsque decretis satis superque notis subscribe, nec de sensu aut commate disputa.

Notum vobis est, quod Missale Romanum Gallicum die 12. Januarij 1661. decreto Pontificis sit proscriptum, lectionem ejusdem atque retentionem impedite, quia hoc vobis Sanctissimus præcipit, nolite, dare puellis etiam plebeis aut domicellis Sacrum Missæ canonem vulgari lingua, quod & quotidie fit cum summo populi scandalo & mysterij vilipendio, sacro enim adversatur Concilio. Admittite Decretum Sanctissi-

 mi

mi 1679. 12. Oct. prohibens libellum R. P. *Gabrielis* &c. Sanctiſſimus, Beatiſſimus ac Apoſtolicus Vir Papa *Innocentius XI.* hoc vobis præcipit, ut ſigillum confeſſionis in nullo caſu reveletur prohibens 18. Novembris 1682. quandam propoſitionem, qua docebatur in publica Theſi Mechliniæ in ſeminario Archi-epiſcopali, quod liceret uti ſcientia ſeu notitia ex confeſſione acquiſita &c. [utinam exclamat eximius D. *Petrus Marcelis* Tungrenſis Facultatis Lovanienſis Sacræ Theol: Doctor uſum in Belgio non obtineat, dicite cordate *Obedimus* & ego & *Ægidius meus* & noſtrates; Deus faxit & benedicat vobis ſi vos ſubmittatis Pontificis Bullis & Decretis, *Dum Os Domini locutum eſt & Tuba Spiritus Sancti intonuit, vox Domini in* INNOCENTIO, *confringentis Cedros Libani, obſtruantur ora loquentium mendacium*, ſcandala, detractiones, inobedientias.

Nec eſt quod objicias contra Supræmi Monarchæ infallibilem auctoritatem, quaſi quidam Pontifices ſeſe Concilijs ſubmiſiſſent aut ipſimet aliud judicaſſent, & dato gratiſque conceſſo, ſciendum, quod tamquam PARTICULARES Juri Pontificis hereditario & ex Cathedra loquenti præjudicare non potuerint: non loquentes ex Cathedra. Sciunt Galli *legem Salicam* & quod *contra Coronam non preſcribitur*, ſciunt & Lovanienſes quod & Duces *Brabantiæ* Sereniſſimi, etiam quoad ipſam univerſitatem, jus ſibi retinuerint, nec præſcriptio valet, quamvis aliquando diſſimulaverint, unde ſi revolvere libet Regiſtrum Concilij privati Bruxellis incipiens anno 1587. finienſque anno 1590. clare videbis, quid Dux ſeu Rex ſtatuerit in Magiſtris STAPLETONIO & WALLIO: idemque patuit anno 1614. 19. Junij edito Decreto quoad electionem Profeſſorum; univerſitatis regiſtra atteſtantur idem anno 1641. iterumque anno 1657. ſubſtituto in Sacra ac ſtricta Facultate Magiſtro DAVE ſublato Doctore RECHT & modo jure ſibi competente excludit Rex Sapientiſſime eximium GUMMARUM HUYGENS, quem vos *Galli* honoratis titulo & nomine *Gomer Hardij*, contra Coronam non præſcribitur, manet Regium jus inviolabile, quo deſiderant omnes Catholici ut eximio S. T. D. Ordinis Sanctiſſimi Patris Auguſtini Patri DESIDERIO Brugenſi deſiderium ſuum adimpleatur utpote S. Sedis defenſori, ſanæ doctrinæ propugnatori, novaturientium hoſti: ſi ergo regibus jus hoc competat, majorem ſaltem auctoritatem ſummo ſupremoque Monarchæ Chriſti Vicario, Petri Succeſſori legitimo *Innocentio XI.* concedere tenetur, ille ſaltem, qui jus à longè ſalutavit, multo magis Magiſter in Iſrael, Doctor celeberrimus; agnoſce igitur corde contrito, ore aperto, quod ſummam ſummi Pontificis auctoritatem & poteſtatem (excipimus ſemper quæcumque ſunt fidei, juris naturalis aut divini) impedire, alienare, mutare aut contra præſcribere non poſſit nec uſus, nec canon, nec decretum, nec ſtatutum, congregatio Eccleſiæ nulla, nullus Prælatus, nullus Doctor &c. quamvis ſanctitate & doctrina Eminentiſſimi: hæc enim poteſtas à Chriſto data inviolabiliter ad ſucceſſorem Petri tranſit; nil hic mutandum, nil hic alienandum.

Attamen ſicut Regi aut Coronæ non obeſt ſecundum loca, & tempora ſubditis, aut alicui civitati liberaliter gratias & privilegia conferre, ſic non adverſatur prædictis ſi Beatiſſimus ac Apoſtolicus Vir Papa alicui Ordini, Religioni Congregationi, Societati aut alijs exemptiones & privilegia elargiri valeat, eſt ipſius benevolentiæ gratias concedere, eſt ipſius juris dum revocat, mutat &c. ſecundum temporum rerumque occurrentias & neceſſitates, ſimilia enim privilegia Religioſis aut alijs neceſſaria ſunt, ut contra *Anti-papales* Sedem Sanctam melius defendere fortiuſque bellare

bellare possint: non tollenda ergo arma illa, hoc præsertim tempore, quo classicum sonant multi non solum in ipsam Virginem *Mariam*, quam nestoriano more *Deipara* titulo spoliare intendebant distribuendo perniciosis & erroneis libellis A. B. C. anno 1688. Statim Decreti tam Illustrissimi Mechliniensi quam Antverpiensi prohibitis & (eodem anno 9. Septembris Romæ condemnatis ab infallibili authoritate) ubi media pars salutationis omittebatur, *Mechliniæ* satis notis, sed & libellis famosis contra supremam summi Pontificis potestatem, ubique divenditis & publicatis, inter quos non infimum locum tenet famosum scriptum intitulatum & Mechliniæ sparsum *confixio thesium &c.* (*auctore satis cognito & aliquo modo punito*) summique parlamenti auctoritate sub gravi pæna prohibitum alijsque scandalosis lingua vulgari dispersis & affixis folijs, nec non reddendo confessionem carnificinam, petendo nominatim complices ac forte (spero quod non) notitia scientiæ confessionalis in certis casibus utendo &c. unde nec audiendus quidam anti-religiosus *Zegerus Bernardus van Espen* (Eximio Domino *Gummaro* familiaris ejusque assecla & commensalis) I. U. D. in suo *Repagulo Canonico* impresso Lovanij apud *Ægidium Denique* anno 1688. ubi omnes exemptiones cassandas, privilegia revocanda censet, sed quam infundate, quam frivole, quam passionate ostendet, hoc scriptum (quod impunè ubique grassatus) annihilando & fundamentaliter eruendo (ut speramus) eximius vir, verus S. P. sui Augustini Discipulus ejusdem Religionis acerrimus defensor *Exim. P. Petrus Clenaerts* Antverp: S.T. D. Lovanij, nisi justæ defensioni locus negetur) cum sępius *parcunt cervis, & vexet censura columbas.* Et ecce nunc refutata est doctrina hæc per R. P. F. Jacobum a S. Antonio Ord: Carm: Exprovin: S. T. Lecto. celeberrimum canonistam *Objecto Repagulo & rejecto* J. U. D. a paucis diebus 1689. edito & approbato, impresso apud Wilhelmum Friessem Coloniæ. In epilogo U. I. D. autem animadverto, quod calamum valde indiscrete acuat in R.R. Patres *Minoritas* (qui sine dubio in sui defensionem & calamum & ora aptabunt) dum tempus erit, habent enim qui resistere possunt cum studium & pietas apud ipsos (ut omnibus notum) floreat: ni ipsis humilitas aliud suadeat aut obedientia; aut injusta prohibitio, interim cum frater qui adjuvatur a fratre sit tamquam civitas firma (quamvis ipsis PP. defensionem propriam relinquo) & ego nomine glorior *Francisci* ad honorem SS. illius Patriarchæ Minorum Ordinis fundatoris & ducis inclyti, non possum non paucis [salva vestra venia Illust. Domine] assecIam vestrum alloqui, statim ad epistolam vestram & ad vos reversurus: debachatur juris ille Doctor contra *minoritas*: sed cur contra illos singulariter? ratio in promptu est: *Subjecti sunt pedibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, sanguinem pro eadem etiam *Brabantini* fundunt, testes appello Martyres *Gorcomienses*, quorum sanguis illius confundit genas; novatoribus ore & calamo resistunt & ideo persecutionem patiuntur & sustinent; nec mirum: *Ubi cinis sub arbore non nidificat Corvus*, ubi habitus Cinericius & studium cum pietate novator sedem non figit immobilem; imitantur Seraphicum suum Patrem instar Athlantis Ecclesiam sustentantem; consideret statum & exitum I. U. D. justum *Minorum* hostis Giraldi de Abbatis Villa Paralysi & morte divinitus mulctati, legatque *Apologiam* pauperum ac questiones scriptas Seraphico D. Bonaventuræ calamo contra eundem ac quoscumque ordinem illum sanctissimum persequentes, si fortè convertat illum Deus ejusdemque assecIas, evomentes *Minoritæ*, PERNICIOSI SUNT CORPORIS ET ANIMABUS, conantes eosdem annihilare, ut hisce militibus

 sed

cæterisque etiam Religiosis suppressis, liberius sedem sanctā oppugnare valeant &c. sed nos è contra dicimus(cum *Minoritis*)doctrina est quasi hęretica,quę docet Papam subesse Concilio, *ita definitum in Concilio Lateranensi sess.* 11. sub *Leone X*. nec ab eo judicatur prima sedes, ait aliud Concilium, ut habetur *in cap. nunc autem distinct.* 21. tota ejus causa Dei judicio reservatur, ita Concilium definit teste *Gratiano & hinc etiam dist.* 17 ad eum [*Innocentium*] solum pertinet declarare ea, quæ pertinent ad fidem ita Concilium Viennense. Habetur in Clem: de summa Trinitate, imo ut ante diximus, concilia robur suum & auctoritatem à Pontifice habent *Cap. Significasti de election.* à nobis hodie habetur acceptum, quod sedes Apostolica approbat vel reprobat, uti fuse probat *Gratianus in cap. Si Romanorum distinct.* 19. numquid & *Tridentinum*, Illustrissime Doctor, petijt à Papa confirmatinoem ? lege si lubet in fine Concilij, numquid & declarat ea, quæ à Sacro Concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit & esse intelligatur sess. 25. cap. 21. de reformat. quia imo talis est stylus Conciliorum ait Gratianus *Si ergo* 25. *q.* 1. *Unde in nonnullis capitulis Conciliorum cum aliquid observandum decernitur, statim sub infertur: nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ aliter imperaverit, vel salvo semper jure Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel salva in omnibus Apostolica auctoritate*, undè nisi adsit auctoritas & confirmatio Papæ non erit Concilium sed conciliabulum & gesta in eo redduntur ad vacuum cap. multis distinct. 17. quod & ulterius considerandum venit; de plenitudine potestatis potest revocare constitutiones totius Concilij, ita *Glossa in Cap. Ubi periculum de election.* lib. 6. undè benè & verè *S. Hieronymus* ad DAMASUM in expositione Symboli ait: *Hæc est Fides Beatissime Pater, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus: in qua si minus peritè aut parum cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes &c.* Illustrissime Domine, si etiam in hac Epistola aliquid minus PERITE aut minus CAUTE est positum ignoscat zelanti patremque suum Filio defendenti, plus enim quam tempus est, ut novatoribus resistatur, nam ut rectè observat *S. Cyprianus* l. 1. epist. 3. *non aliunde hereses obortas, & schismata nata esse, quam inde, quod Sacerdoti non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex Vice Christi cogitatur.* Quare non mirum quod portæ inferi adversus ecclesiam rebellantes, *quantumcumque inter se discrepant, in Ecclesiæ oppugnatione consentiunt, juxta illud quod Herodes & Pilatus in Domini Passione amicitia fæderantur.* Ut loquitur *S. Hieronimus* in 7. Isaiæ, unde & *D. Hilarius* 7. de trinitate concludit, *Hæretici igitur omnes contra Ecclesiam veniunt.* Sicut autem Hæretici in hoc conveniunt, quod ecclesiam ejusque caput *Romanum Pontificem* cunctas hereses omni tempore damnantem [ut ostendit *Henricus Sedulius* in lib. de *præscriptionibus* adversus hæreses præscript. 16] oppugnent, ita & in eo [dignetur hoc intimare amico suo I. V. D. van Espen] quod junctis viribus Religiosos persequantur: hoc enim illis commune est & familiare *Monachorum choros*, [dico ego Religiosorum] *quasi hostes publicos æstimare* [verba sunt *S. Hieronymi* epist. 61. advers. err. Io. ier. 2.] ad oculum id patet in *Joanne Wiclef*, qui suos discipulos habet modo, illos, qui prohibent subditis suis ordinum mendicantium Religiosis elemosynam dare sub peccato &c. *Luthero*, Calvino &c. Hæresiarchis eorumque asseclis, qui non minus Religiosorum, quam Ecclesiæ & Pontificis persecutores fuere.

Rationem hujus si quis investiget, facile deprehendet, hanc esse præcipuam, quia scilicet Hæretici satis norunt, Religiosos esse præcipuos Ecclesiæ & Pontificis defensores

fensores, dum illos sentiunt suarum Hæresum & errorum acerrimos oppugnatores usque adeo, ut non immerito Religiosi comparari queant 60. illis fortibus ex fortissimis Israël, qui (ut scribitur canticorum 3.) lectulum *Salomonis* verè ambiunt, dum veri *Salomonis* Christi Domini dilectam sponsam ejusque in terris Vicarium Pontificem summum contra insultus Hęreticorum omni tempore & loco totis viribus defensare non cessant, in uno pro omnibus [omnes laudo] hoc clarissime patet ordine *Fratrum Minorum* [quem ille juris Doctor tam injuste persequitur in suo Repagulo] qui sicut primitus a S. Francisco fundatus est, ut testantur *Abbas Vespergensis* & *Ciacconus* ad annum 1212 contra *Waldenses* seu *pauperes de Lugduno* juratos Ecclesiæ & Pontificis hostes, quippe qui (inter alios perniciosissimos errores) totum Ecclesiæ statum in capite & menbris damnantes, docebant *Pontifici non obediendum*, canones & decreta Pontificum reprobantes; [cogitate de quali numero sint illi, qui modo Innocentii decreta realiter contemnunt] sicut inquam contra hanc hæreticorum sectam, Ordo Seraphicus primitus institutus est, ita & contra aliorum omnium Hæreticorum & novatorum furias Ecclesiam Dei ejusque caput Romanum Pontificem omni tempore pro viribus defendere numquam destitit nec desistit modo, Belgium testis est, in confusionem illius Clarissimi J. U. D noti vestrique familiaris, *Illustriss. Domine*, libros solum assignabo, ubi legere poterit, quam necessaria fuerunt pro Ecclesia Dei & modo sint privilegia & exemptiones ordini illi concessæ, sed ipsis *Minoritis* relinquo reliqua & solum breviter annoto, quæ Illust. vestra gratia perlibenter leget nam *Minoritas seu Recollectos* [ut scio] diligis & ut spero per D. V. contra hostem illum J. V. D. defendentur; scilicet confusionem suam legat sequentibus libris Doctor Juris tunc juste judicet: in operibus D. Bonaventuræ præsertim *Apologia pauperum*, Chronicis Waddingi, Annalibus Haroldi & Arenbergij Vitis, historia Seraphica Rodulphi, Privilegijs Chassaing, Historia Generali R. P. Caroli Rapini Parisijs an. 1631. legat Pisanum de conformitate, Medullam Evangelij P. Dernoy 12. fundamenta R. P. Marchantij, Sacrarium privilegiorum seraphico P. S. Francisco indultorum per R. P. Angelum de S. Francisco Duaci 1636. response aux demandes d'un grand Prelat par Francoys de Fontaine Predicateur du Roy á Liege, Compendium privilegiorum FF. Min. ab Alphonso de Casarubios Venetijs 1631 Opera Sedulij & Titelmanni, Marianam in suo Francisco Redivivo Ingolstadij 1625. ut cognitionem Ordinis Seraphici accipiat introspiciat firmamentum trium Ord auct. fixto Senensi, Historiam Seraphicam Gonsagæ, Speculum R. P. de Riddere Apologiam R. P. Matthei Haureur, Examen Currus Mystici per R. P. Nicolaum Armigerum 1631. informatio R. P. Bernardini Vetweis 1653. Colon. &c. quod si introspicere dedignetur; sciat Ordinem Seraphicum fundatum esse in Fide Catholica unde quoad Novitios c. 2 regulæ *examinent eos de Fide Catholica*, teste Bonav. Frater Minor. pro Fide & Pontificis auctoritate debet esse paratus ad Martyrium, ex nunc numerant Martyres plus quam mille quingentos, Franciscus Vir Catholicus & totus Apostolicus Ecclesiæ teneri Fidem *Romanæ* docuit, sufficienter notum est omnibus quid hic in Patria Provinciæ FF. Minorum Recoll. tam Flandriæ quam Brabantiæ & S. Joseph in Comitatu Flandriæ pro Ecclesia & Pontifice pręstiterunt & modo præstant quid passi sint & modo patiantur quid tempore Geusiorum minoritæ perpessi sint lege in R. P. Marchantio titulo 12. fundamento 12, recordare J. U. Doctor, quid

F Bruxellis

Bruxellis præstiterit peste infectis B. P. Theodorus a Monasterio *Minorita*, 1489. ossa jacent Lovanij, illa interroga, memorare quid anno 1672. & sequentibus in servitio infirmorum Tungris & alibi præstiterint, uti & Bruxellis sæpissime peste infectis, recordare, quid continuo F. F. Minores præstent servitij & non scribes Privilegia esse revocanda, necessaria enim sunt, ut tibi ac tuis similibus resistant: hæc accipe solum incidentaliter; quia ordinem illum particulariter persecutus es; tibi & alijs interim has ponit ad instructionem Theses Angelicus Doctor D Thomas opusculo 19. c. 4. &c.

I. *Cum misit Deus Apostolos, 12. & 72. Discipulos dedit illis facultatem alios mittendi sicut fecit S. Paulus 1. Corinth. 4.*

II. *Multo melius potest Papa & Episcopus delegare alios & mittere in Vineam Domini quam parochus.*

III. *Minores Angeli in cælesti hierarchia, mitti possunt a superioribus; & eadem plane opera exercent, ideoque dicuntur Seraphim & Cherubin, quia eorum opera exercent sic in Hierarchia Ecclesiastica.*

IV. *Papa non destruit Ecclesiasticam Hierarchiam cum mittit Monachos ad Prædicandum, quod enim potest inferior ut curatus concedere committendo curam alicui, hoc potest ejus superior ut Episcopus & Papa.*

V. *Papa in hoc non facit contra decretum Canonum, nec contra statuta Sanctorum, quod si daretur eum facere contra verba statutorum, certum est eum servare intentionem statuentium quæ est utilitas Ecclesiæ.*

VI. *Quæ sunt de jure positivo, relicta sunt sub Papæ dispensatione, ut est hoc de quo quæritur, nempe mittere Monachos ad Prædicationes & Confessiones audiendas.*

VII. *Quisquis Papæ vel Episcopo suo vel alicui ejus vicem habenti confessus est, ille confessus est proprio Sacerdoti.*

VIII. *Cum Episcopus subditum Sacerdotis absolvit per se vel per alium cui commisit, tum Sacerdos parochiales, ita debet reputare se cognoscere eum, ac si sibi confessus esset nam cognoscere potest aliquem aut ex propria Confessione, aut ex sententia superioris an sit dignus Communione.*

IX *Licet concedatur posse aliquod malum oriri ex hoc, quod aliquis non confitetur parocho suo; tamen multo plura & majora mala nascuntur, si quis cogatur necessario illi confiteri, ut patet experientia.*

X. *Quiquid Sancti Doctores & Canones videntur dicere de Monachis, quorum officium esse dicitur magis plangere, quam docere hoc dicitur de Monachis illis, qui nec Sacerdotes erant, neque Diaconi sed Solitarij & Eremitæ, non de ijs, qui ad hoc vocati sunt, & qui non ex propria auctoritate id faciunt sed ex commissione Prælatorum.*

XI. *Etiamsi daretur duos tantum Ordines à Domino esse institutos, qui possent propria auctoritate prædicare &c. posset tamen Ecclesia tertium statuere Ordinem, qui possent propria auctoritate prædicare, multo magis eorum qui ex commissione, sicut in primitiva Ecclesia fuerunt tantum duo Ordines scilicet Presbyteri & Diaconi, & tamen postea Ecclesia Minores Ordines statuit.*

XII. *Quidam à Confessione desistent, nisi possent alijs, quam suis Sacerdotibus confiteri.*

XIII. *Ex communi consuetudine Orientalis Ecclesiæ, omnes fere Monachis* (in Belgio religiosis) *confitentur.*

XIV. *Quidam novellum sibi statuentes errorem in tantam procumpunt audaciam, ut asserant*

tant non posse per Episcopos Religiosis prædicta committi absque voluntate parochi & quod perniciosius est non posse hoc asserunt concedi per PRIVILEGIUM *Sedis Apostolicæ.*

XV. *Optime ait S. Dion: Eccl. Hier. C. 6. summus Sacerdos per suos ministros aut Sacerdotes purgans aut illuminans, esse dicitur purgare & illuminare ergo & Episcopus eodem modo, qui autem facit per alium, per seipsum facere potest.*

XVI. *Blasphemiæ vicinum est dicere, quod Episcopus non possit usum Clavium exercere in quemlibet suæ Diœcesis sicut & Christus posset.*

XVII. *Potest institui religio ad subveniendum pauperibus in necessitatibus corporis ergo multo magis potest institui ad subveniendum animabus per prædicationes & confessiones.*

XVIII. *Quod potest Inferior potest etiam Superior: quod ergo potest Curatus, potest Curatus & potest Papa*, CUI (ut ait Cyrillus) OMNES JURE DIVINO CAPUT INCLINANT.

XIX. *Aliy Gubernationes, aly Opitulationes inquit Apostolus* 1. *Corinth. c.* 12. *opitulationes sunt ÿs, qui ferunt opem majoribus, ut titus Apostolo, Archidiaconi Episcopo &c. Hoc autem non destruit Hierarchiam Opusc.* 14. *c.* 23.

XX. *Aliter alterius Membra & unum Corpus in Christo Rom:* 12. *manifestum est quod Ecclesiasticæ dignitati derogat*, QUICUMQUE RELIGIOSOS IMPEDIT NE DOCERE POSSINT OPUSC. 15. cap. 3.

XXI Ibidem Cap. 3. *qui* ROMANÆ ECCLESIÆ *privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum* AUFERRE *conatur, hic procul dubio in* HERESIM *labitur ut dicitur in decretis dist.* 22 *cap. omnes & a S. Ambrosio, qui ait se in omnibus sequi* MAGISTRAM SANCTAM ROMANAM ECCLESIAM lib. 3. de Sacram. c. 1.

XXII. *Ab Apostolis* 7. *Diaconi instituti fuerunt, qui erant in statu perfectionis nam relictis omnibus secuti erant Christum: ab horum exemplo omnes Religiones derivatæ sunt: quem admodum ergo Apostolis Episcopi, Discipulis Parochi, sic Diaconis Religiosi successernnt* opusc. 14 c 23.

Has Theses Angelicus Doctor solemniter defendit, & hoc tempore, præsertim ab hostibus Religiosorum & inimicis sanctæ sedis ruminari merentur. Cathedra enim Romana ejusque potestas maxime defendenda, dum novitates oriuntur, ad illam recurrendum, huic obediendum, sic & bene *Hieronymus* ad *Damasum* scripsit in Ecclesia Orientali hæreses & scismata pullulare, ideò sibi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censuit consulendam, & infra ajebat, *Ego nullum præmium nisi Christum sequens* [idem cum ipso scribo] *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram Edificatam Ecclesiam scio*, Innocentio XI. obediamus, atque *Oremus* [Ecclesiæ sunt verba in rogationibus] *pro Pontifice nostro*, respondete mecum Illustrissime Domine cæterique Galli non ore, sed corde & vos omnes quicumque diligitis Dominum ejusque Vicarium, supremum Universalis Ecclesiæ Monarcham, dicite non tamen AULICE, *Dominus conservet eum & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra & non tradat eum in animam inimicorum ejus*, Si nos ipsius defensores in animam, os & calamum hostium tradamur, si persecutionem propter justitiam ac antiquam Romanam Catholicam fidem Ecclesiæqne sanam doctrinam patimur, sustinemus utique, plura parati pati, mandatis Sanctissimi Domini in omnibus obtemperaturi, eundemque tamquam infallibilem universalis Ecclesiæ Magistrum Concilijs prædominantem Monarcham defensuri, animos nobiscum sumite, & quidquid sedes Apostolica responderit suscipite & *Causa finita est*, hac lege & non alia, pax Ecclesiæ

clesiæ desiderata surget in Belgio & tunc erit multitudinis credentium cor unum & anima una, obedi ergo Illustrissime Domine & compelle subditos ad obedientiam: hinc finio verbis Chrysologi in epist ad Euthichem. *In omnibus hortamur te Frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis præscripta sunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propriâ Sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Quam indignum sit Christianis, multo magis Episcopali charactere insignito, Pontifici non obedire declarat idem Chrysologus exemplo Christi serm. 175. dicens " edicto Cæsaris, & pagani Dominus obtemperaturus occurrit, & de„creto B. Petri Principis, Christiani servus adhuc aliquis irreverenter obsistit ? " hanc ergo Chrysologi indignationem, imo & omnium Christianorum, quin & ipsius Dei à te avertas & à tuis Gallis [quos nullo modo taxare volo, sed solum doctrinaliter cum ipsis agere ut veritas elucescat, nec Christianissimum Regem tangere intendo in quacumque materia, aut alia capita coronata, sum enim neutralis] ne veniatis in judicium de contemptu, sed per obedientiam mereamini vitæ æternæ mercedem, quam vobis ex corde apprecor & maneo

ILLUSTRISSIME DOMINE,

Illustrissimæ Vestræ Gratiæ indignus Famulus

FRANCISCUS VERITE'.


Datum 7. Martij 1689. in Festo Angelici & Quinti Ecclesiæ Doctoris D. Thomæ Aquinatis.

Imprimi poterit.
H.F.A.L.A. Librorum Censor.

N O T A : Leodij apud *Jacobum Monfort*, & Coloniæ apud *Joannem ab Egmont* invenitur D. *Francisci Verité* epistola 1. sub titulo *Summus Pontifex vindicatus &c.* uti & 2. *Papa infallibilis in Triumphum adductus* & 3. *Innocentius XI. infallibilis Fidei Magister probatus &c.*

Errata potiora (Benigne Lector) quæ propter absentiam Auctoris irrepsere, corrigere digneris,

Pag. 6. lin. 30. dispossituri *lege* depossituri
Pag. 10. lin. 43. competentam *lege* competentem
Pag. 10. lin. 36. potestate *lege* potestatæ
Pag. 12. lin. 14. quopropter *lege* quapropter
lin. ibid. veneremur *lege* veremur
Pag. 12. *lin.* 22. tu *lege* D. V.



Domini locutum est & tuba Romana sonuit, infallibilis auctoritas damnavit) mirari desine, non enim Leoni insultamus mortuo, sed (quamvis Romano fulmine tacto) circumneunti & quærenti supremam hanc potestatem devorare & practicè deridere conanti, dum reimprimi permittat & distribui (meliorem dum hanc incæpi de Illustrissima gratia V. opinionem cæperam, sed, certiùs nunc sum informatus) resistere conamur & Patris nostri Sanctissimi jura tueri omni meliori & licito modo, & quidem *utile est* (teste *magno Patre Augustino*) lib. 1. de trinitate cap. 3. tom. 3. *plures libros (plures epistolas) à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic*, quod autem me vocites Saul inter Prophetas, non me turbat, non enim gloriam sed veritatem quæro & ostendere satago, nec (quamvis apud Gallos videaris *Goliath*) parvus *David* in nomine Domini pugnans horrescit certamen, sunt & alij qui calamum aptant in arenam brevi tecum descensuri, nisi mundo constet Illustrissimam vestram Gratiam realiter obedivisse decreto, simulque subditos ad obedientiam compulisse Sanctissimi ac infallibilis *Innocentij XI.* (cui omnia mea scripta aut scribenda omnimode submitto, ac interim dum alij arma parant, & aliqui fortè priores nostras non legerint in justam Sanctissimi Patris defensionem ex armamentario nostro compendiosè aliqua hic addenda produco breviterque repeto, ut sciant omnes, quia *Innocentius XI. Universalis Ecclesiæ militantis Caput visibile, in rebus fidei infallibilis ac necessarius Magister est, toti Ecclesiæ etiam* CONCILIARITER *congregatæ prædominans supremusque Monarcha &c.* nec verbis ludendum, sed doctrina proponenda & probanda, ut enim *d. distinct. 86. c. Cum multa.* In docendo Sacram Scripturam, non *Grammaticam* Episcopus exponere debet; hæc ab Episcopo, Doctore, Consiliario in responsione exspectamus; cui alijsque novatoribus quam brevissime sequentia expono consideranda

Nostræ veritas defensionis fundatur *Matth.* cap. 16. dicente Christo *Tu es Petrus &c. Tibi dabo Claves &c. Quodcumque ligaveris super terram &c.* ejusdemque promissi executio parvo ante ascensionem tempore facta *Joan.* 2. hisce verbis sine ullâ dependentia aut limitatione *Pasce oves meas &c.* Pastor supra oves, *Innocentius XI.* supra Ecclesiam, Pontifex supra Concilium.

Confirmationem dat nobis Concilium Generale Florentinum anno 1439. dicens *Definimus ut fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur* (audite gentes Gallicæ, suscipite doctrinam sanam, attendite ad Illustrissimum Tornacensium Episcopum (cujus verba in initio posita hic repeto) dicentem ô utinam veraciter; *Galli stant à Conciliorum partibus: sed summos Pontifices à Christo Domino tamquam Petri Successores*, TOTI ECCLESIÆ *præfectos venerantur, ipsis obedire jure divino sese teneri predicant supra tecta, ita docent summos Pontifices rebus Ecclesiæ providere, ut eorum* DECRETA, *quoad* FIDEM *& quoad* MORES, *secundum Canones, & antiquas & laudabiles nationum consuetudines, amplectenda sunt, donec ex toto Orbe Sacerdotes congregentur.* Si verum est Illustrissime Præsul vestrum de Gallis testimonium audiant verba Sacerdotum in præfato Concilio ex toto orbe congregatorum; quæ hæc sunt (uti & ostendimus in prima nostra Epistola & habentur in præfato Concilio Florentino p. 2 collat. 22.) " definimus Sanctam Apostolicam Ecclesiam, & „ Roman: Pontificem in universum orbem tenere primatum & ipsum R. Pontifi-
„ cem

„cem Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum & verum Christi vica-
„rium totiusque Ecclesiæ Caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem
„& ipsi (INNOCENTIO XI.) in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi uni-
„versalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam
„esse." Generale erat Concilium, præsidebat Papa, sine quo nec Ecclesiam repræsentabat universalem.

Illust. Gallorum Doctor, fateris Concilia Generalia esse infallibilia, scias eadem fallibilia nisi infallibilis presideat Pontifex, oculos ut spero aperiet Concilium Generale anno *Laterenense* 1516. "ubi definitur: solum R. Pontificem tamquam super
„omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferen-
„dorum, ac dissolvendorum, plenum jus ac potestatem habere, nedum ex Sacræ
„Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum & aliorum Pontificum, sed su-
„pra etiam earumdem Conciliorum confessione manifestè constat, quorum aliqua
„referre placuit, reliqua vero notoria silentio præterire &c.

Ibidemque plura exempla proponuntur & argumenta convincentia quod Concilia cum omni humilitate summo obediverint Pontifici, & sic omnes Sacerdotes ex toto orbe congregati (nequidem uno excepto) sic judicarunt, attamen de eorumdem agebatur potestate, sed Sacræ Scripturæ testimonio & dictis SS. Patrum convicti subsignarunt, vide sess. 11. & subsigna; commoveat Illustrissimam V. G. quoque aliud Lateranense tertium anno 1160. cap. 1. dicens *de modo eligendi summi Pontificis ..... in Romana Ecclesia aliquid specialiter constituitur, quia non potest ad superiorem haberi recursus*, unde bene considerandam proponit Papæ electionem: quia electus nec judicari, nec puniri, nec deponi potest.

Aliorum enim *hominum causas Deus voluit per homines terminari* (verba sunt ennadij diaconi, cujus liber in Concil. Rom. sub Symmacho approbatus; *Sedis istius præsulem suo* SINE QUÆSTIONE *reservavit arbitrio, voluit Petri Apostoli Successores Cælo tantum debere innocentiam.* Et quod clarius quam Act. 7. Concil. 8. Constantinopolitani anno 870 Dicentis: " non ferenda est hæc audacia [ruminent hæc cum suo Pastore Oves]
„inauditum hactenus est R. Pontificem à cæteris Ecclesijs esse judicatum, sed alias
„omnes ab illo judicatas scimus ..... ita igitur novimus universi Ecclesiam
„Romanam aliorum esse judicem, ab alijs autem non judicari huic declara-
„tioni omnes subscripsimus;" Ecce Conciliorum Decreta (*Galli*) & super tecta predicate; subscribat *Gilbertus* Illustr. signet *Egidius de Witte* Libellis contra Pontificem notissimus alijque sese novatores conforment; si Catholici esse velint nec sese Doctori Parisiensi *Richerio* jungant anno 1612. contra sedem Apostolicam ac supremam summi Pontificis auctoritatem debachanti, tantumque scandali causanti, ut Eminentissimus Cardinalis *Peronensis* tum *Senonensis* Archi episcopus, Co-episcopos congregare debuerit, qui omnes hanc *Richerij* doctrinam, qua Pontificem Concilijs submittebat totaliter, tamquam hæreticam & scismaticam condemnarunt, ipseque *Richerius* Regio sacræque facultatis Decreto syndici officio fuit privatus tandemque anno 1629. (instruente Eminentissimo *Card. Du Richelieu*) retractavit & Confessus est & non negavit, quia *Pontifex Romanus est supra Concilium & Infallibilis Ecclesiæ Doctor Universalis: ejusque Decreta tam quoad fidem, quam quoad mores amplectanda sunt omni cum obedientia*; Confiteantur hoc omnes aut suis munijs merito *priventur*

aut

aut aspirantes *excludantur*, ne Ecclesiam turbent, regna pervertant & animas perdant.

Sic Papa *Nicolaus* in Concil: Generali Constantinopolitano anno 870. Episcopum Syracusanum nomine *Gregorium*, quia *Photium* consecravit, omni dignitate privavit inhabilemque declaravit, *Sic ut nullam ab ulla Synodo Spem recuperandæ dignitatis habeat*; timendum est (si Concilium ad quod appellatur congregetur) idem ut accidat refractariis S. Sedis, unde nunc tam decreto Regio quam Pontificio aspirantes excludendi & exclusi sunt a sacra stricta facultate *Lovaniensi*, illi qui non nisi *Oretenus* sese bullis supremi ac infallibilis monarchæ submittunt: huic obediendum, nulla hac manutenentia ficto querenda titulo, aut falso colore fingenda appellatio, nec universitatis alicujus sigillo abutendum est ut mihi scribitur alicubi factum, sed constans in jure regula *ad superiorem appellandum*; irridendus contra Pontificem conatus, explodenda contra Regem astutia, è contrario ad Regem Papamque humiliter recurrendum, imo ab ipsis Concilijs ad Pontificem appellatur, exemplo vobis sit appellans *S. Athanasius* a *Concilio Anthiocheno generali* per infallibilem ac supremum monarcham sedi suæ restitutus, item de 2. concil: *Ephesino* ad *S. Leonem* appellante *Theodoreto* Episcopo *Cyrenensi*: sententia reformata, & ipse est restauratus, sic factum *Paulo* Episcopo *Constantinopolitano* per *Julium* Papam, in epistola vestra ais *poterat solus leo & vulneratam fidem sanare & depositum suæ sedi restituere Flavianum.* Et præmiseras, *si & infallibilem se fidei custodem & Episcopum Episcoporum Leo se credidisset*; argumentum tuum non concludens altera ostendi epistola; nunc solum addo: *Flavianus* appellavit ad *Leonem*, sed ante appellationem acceptatam vita functus per *Leonem* restitui non potuit, nihilhominus postea *Leo* sententiam depositionis in 2. concil: Ephesino cassavit; similiter & *S. Chrysostomus* appellans restitutus est; consule, silibet, ecclesiasticas historias exempla plurima invenies. Romanæ obedi Ecclesiæ, *siquidem ad* ILLAM *de qualibet mundi parte appellandum est ab illa autem nemo est appellare permissus* 9. q. l. *Cuncta* non appellatur a Pontifice ad Concilium (nisi forte a Gallis eisque adherentibus inter quos numerandus eminentissimus Cardinalis *Furstenbergius*) nam ut ultimus concil: Rom: canon sub Silvestro, *nemo judicabit primam sedem*, & mementote quid patres CONCILIARITER congregati S. Marcellino (qui graviter deliquerat) protulerunt, hæc eorum sententia, *prima sedes a nemine judicatur*; recipisce ergo, sententiam muta, appellationem desere, bonum capesse consilium, sero enim sapiunt Phryges nam *omnes judicat Papa & a nemine judicatur.* CAP. CUNCTA PER MUNDUM 9. q. 3. *neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a Regibus, neque ab Apostolis Judex judicabitur*; CAP. nemo 9. q. 3. memento Illust. D. quod *sedis istius presidem suo Deus sine quæstione preservavit arbitrio* CAP. ALIORUM 9. q. 3. *nullum Papa habet superiorem* CAP. LICET *de election: id circo ab eo non appellatur* D. CAP. CUNCTA PER MUNDUM 9. q. 3. *appellatio enim est de minori judice ad majorem provocatio* CAP. ANTERIORUM 2. q. 6. & si bene jura introspicias Illust. Doctor, scienti enim jura scribo, *non appellatur ab Imperatore nec a sententia præfecti prætorio* 1. unica COD. DE SENTENT: PRÆFECTI PRÆTORIO *multo fortius nec a Papa appellatur, cum ejus potestas sit longe major imperiali* CAP. solitæ de majoritate & obedientia. Et CAP. Duo sunt distinct. 96. vis ulteriora Illust. Præsul? Ecce dabo libenter: *appellantes à Papa ad futurum Concilium.* In Bulla JULY II. declarantur *Haretici, Hæreticus est, qui detrahit privilegium* Rom: Ecclesiæ: CAP. distinct. 22. nam *totum corpus Ecclesiæ inde auctoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiæ posuit principatum* CAP. CONCILIA distinct. 17. dubitas ne adhuc

huc de antiquitate? quæris 17. prima sæcula? *Apostoli spiritu Dei pleni hoc ipsum voluerunt, quod ipse Petrus* (nunc Innocentius) loco Dei *omnibus præesset* CAP SACROSANCTA distinct. 22. utpote *Vicario Creatoris omnis creatura est subjecta* Innocentius in CAP: 2. de translation Prælator: *Cum enim dixit Christus: quodcumque solveris super terram &c. nihil excepit* CAP. solitæ de majoritate & obedientia CAP 2. Romanorum dist. 19. *De omni Ecclesia habet fas judicandi* CAP. 18 causa 9 q. 3. *Nec est qui ei dicere possit cur ita facis* CAP. in memoriam dist. 19. denique quæstiones fidei sunt referendæ ad Papam cap. majores de Baptismo: *alijs imperatur, ut laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur, duc in altum hoc est; in profundum, disputationum &c* Vide Ambrosium ad cap. 5. Lucæ habetur in cap non turbatur 24 q. 1 Illustrissime Domine, *Constantinopolitanum* attende concilium cui præsedit *Menas* Patriarcha dicens *Apostolicam Sedem sequimur & obedimus*: presente *Carolo Magno* Imperatore, dum *Leo III.* accusaretur, Romanum concilium personam Pontificis à nullo judicandam declaravit. Signa submissionis Pontifici concilia tamquam subdita præstiterunt sæpissime; patet in Concilio Generali *Ephesino* anno 430. ubi mandato Papæ *Nestorius* Sede sua Constantinopolitana pulsus est, vis plura? in Generali Chalcedonensi anno 454. legas actione 16. *Beatissimus & Apostolicus Vir Papa hoc nobis præcipit.* Adjungitur quod ut membra, *Patres* sed caput ipsorum *Pontifex, quibus tu quidem* (scribunt *S. Leoni* Papæ) *velut membris ut Caput præeras*; reflectant ad hæc verba (si placet) NOVATORES, *præcipit, caput, præeras*, quæ vere non subdito sed superiori conveniunt.

Illustrissime Presul scis quod *Beatissimus & Apostolicus Vir Papa* INNOCENTIUS XI. hoc tibi præcipit, ut à tua jam satis convicta & damnata abstineas doctrinâ ac impressionem & retentionem impedias Epistolæ tuæ Famosæ. Patri præcipienti obediat Filius, nisi Absolonis instar rebellis puniendus, agnoscat si calamo duriuscula excidant verba, me cogit fidei ardor & erga Patrem obedientia, quam tam enormiter proscindis hactenus; meliora dent superi non solum Illust. D. V. sed & alijs, S. Sedis filijs inobedientibus seu melius iniquitatis, dicite corde sincero, practicate obedientia non ficta, *Apostolicam Sedem sequimur & obedimus, Beatissimus & Apostolicus Vir Papa* INNOCENTIUS *hoc nobis præcipit* & sufficit, & tanquam Fratres Catholicos vos diligemus, ut filios obedientes recipiet Pater S S. Regna seditiones evadent plures, animæ pericula, nosque libellos famosos & persecutiones quotidianas. Dum ergo infallibilis Pontifex comdemnat, resonam date vocem *Obedimus* & ecce facta sunt omnia, dicite *hoc nobis precepit* & ideo *Obedimus* libenter; recogitate ergo, quod S. Pater INNOCENTIUS X. damnaverit feria 5. die Jan. 1647. librum Gallico idiomate cui titulus, *de l'authorité de S. Pierre & S. Paul, qui reside dans le Pape Successeur de ces deux Apostres, Illust. Domine* cum tuo copista (quem bene instruxisti) *Ægidio de Witte* Gandavensi, (*Albo* aut *Candido* uti sese quotidiano pro velamine transformat in suis libellis) *Apostolicam Sedem sequere & obedi* nec minus ejusdem infallibili definitioni, quoad propositiones *Cornelij Jansenij* anno 1653. pridie Kalendas Julij alijsque decretis satis superque notis subscribe, nec de sensu aut commate disputa.

Notum vobis est, quod Missale Romanum Gallicum die 12. Januarij 1661. decreto Pontificis sit proscriptum, lectionem ejusdem atque retentionem impedite, quia hoc vobis Sanctissimus præcipit, nolite, dare puellis etiam plebeis aut domicellis Sacrum Missæ canonem vulgari lingua, quod & quotidie fit cum summo populi scandalo & mysterij vilipendio, sacro enim adversatur Concilio. Admittite Decretum Sanctissi-

mi 1679. 12. Oct: prohibens libellum R. P. *Gabrielis* &c. Sanctissimus, Beatissimus ac Apostolicus Vir Papa *Innocentius XI.* hoc vobis præcipit, ut sigillum confessionis in nullo casu reveletur prohibens 18. Novembris 1682. quandam propositionem, qua docebatur in publica Thesi Mechliniæ in seminario Archi-episcopali, quod liceret uti scientia seu notitia ex confessione acquisita &c. [utinam exclamat eximius D. *Petrus Marcelis* Tungrensis Facultatis Lovaniensis Sacræ Theol: Doctor usum in Belgio non obtineat, dicite cordate *Obedimus* & ego & *Ægidius meus* & nostrates; Deus faxit & benedicat vobis si vos submittatis Pontificis Bullis & Decretis, *Dum Os Domini locutum est & Tuba Spiritus Sancti intonuit, vox Domini in* INNOCENTIO, *confringentis Cedros Libani, obstruantur ora loquentium mendacium,* scandala, detractiones, inobedientias.

Nec est quod objicias contra Supræmi Monarchæ infallibilem auctoritatem, quasi quidam Pontifices sese Concilijs submisissent aut ipsimet aliud judicassent, & dato gratisque concesso, sciendum, quod tamquam PARTICULARES Juri Pontificis hereditario & ex Cathedra loquenti præjudicare non potuerint: non loquentes ex Cathedra. Sciunt Galli *legem Salicam* & quod *contra Coronam non prescribitur*, sciunt & Lovanienses quod & Duces *Brabantiæ* Serenissimi, etiam quoad ipsam universitatem, jus sibi retinuerint, nec præscriptio valet, quamvis aliquando dissimulaverint, unde si revolvere libet Registrum Concilij privati Bruxellis incipiens anno 1587. finiensque anno 1590. clare videbis, quid Dux seu Rex statuerit in Magistris STAPLETONIO & WALLIO: idemque patuit anno 1614. 19. Junij edito Decreto quoad electionem Professorum; universitatis registra attestantur idem anno 1641. iterumque anno 1657. substituto in Sacra ac stricta Facultate Magistro DAVE sublato Doctore RECHT & modo jure sibi competente excludit Rex Sapientissime eximium GUMMARUM HUYGENS, quem vos *Galli* honoratis titulo & nomine *Gomer Hardij*, contra Coronam non præscribitur, manet Regium jus inviolabile, quo desiderant omnes Catholici ut eximio S. T. D. Ordinis Sanctissimi Patris Augustini Patri DESIDERIO Brugensi desiderium suum adimpleatur utpote S. Sedis defensori, sanæ doctrinæ propugnatori, novaturientium hosti: si ergo regibus jus hoc competat, majorem saltem auctoritatem summo supremoque Monarchæ Christi Vicario, Petri Successori legitimo *Innocentio XI.* concedere tenetur, ille saltem, qui jus à longè salutavit, multo magis Magister in Israel, Doctor celeberrimus; agnosce igitur corde contrito, ore aperto, quod summam summi Pontificis auctoritatem & potestatem (excipimus semper quæcumque sunt fidei, juris naturalis aut divini) impedire, alienare, mutare aut contra præscribere non possit nec usus, nec canon, nec decretum, nec statutum, congregatio Ecclesiæ nulla, nullus Prælatus, nullus Doctor &c. quamvis sanctitate & doctrina Eminentissimi: hæc enim potestas à Christo data inviolabiliter ad successorem Petri transit; nil hic mutandum, nil hic alienandum.

Attamen sicut Regi aut Coronæ non obest secundum loca, & tempora subditis, aut alicui civitati liberaliter gratias & privilegia conferre, sic non adversatur prædictis si Beatissimus ac Apostolicus Vir Papa alicui Ordini, Religioni Congregationi, Societati aut alijs exemptiones & privilegia elargiri valeat, est ipsius benevolentiæ gratias concedere, est ipsius juris dum revocat, mutat &c. secundum temporum rerumque occurrentias & necessitates, similia enim privilegia Religiosis aut alijs necessaria sunt, ut contra *Anti-papales* Sedem Sanctam melius defendere fortiusque bellare

bellare possint: non tollenda ergo arma illa, hoc præsertim tempore, quo classicum sonant multi non solum in ipsam Virginem *Mariam*, quam nestoriano more *Deiparæ* titulo spoliare intendebant distribuendo perniciosis & erroneis libellis A. B. C. anno 1688. Statim Decreti tam Illustrissimi Mechliniensi quam Antverpiensi prohibitis & (eodem anno 9. Septembris Romæ condemnatis ab infallibili authoritate) ubi media pars salutationis omittebatur, *Mechliniæ* satis notis, sed & libellis famosis contra supremam summi Pontificis potestatem, ubique divenditis & publicatis, inter quos non infimum locum tenet famosum scriptum intitulatum & Mechliniæ sparsum *confixio thesium &c.* (*auctore satis cognito & aliquo modo punito*) summique parlamenti auctoritate sub gravi pœna prohibitum alijsque scandalosis lingua vulgari dispersis & affixis folijs, nec non reddendo confessionem carnificinam, petendo nominatim complices ac forte (spero quod non) notitia scientiæ confessionalis in certis casibus utendo &c. unde nec audiendus quidam anti-religiosus *Zegerus Bernardus van Espen* (Eximio Domino *Gummaro* familiaris ejusque assecla & commensalis) I. U. D. in suo *Repagulo Canonico* impresso Lovanij apud *Ægidium Denique* anno 1688. ubi omnes exemptiones cassandas, privilegia revocanda censet, sed quam infundate, quam frivole, quam passionate ostendet, hoc scriptum (quod impunè ubique grassatus) annihilando & fundamentaliter eruendo (ut speramus) eximius vir, verus *S. P.* sui Augustini Discipulus ejusdem Religionis acerrimus defensor *Exim. P. Petrus Clenaerts* Antverp: S.T. D. Lovanij, nisi justæ defensioni locus negetur) cum sępius *parcunt cervis, & vexet censura columbas.* Et ecce nunc refutata est doctrina hæc per R. P. F. Jacobum a S. Antonio Ord: Carm: Exprovin: S. T. Lecto. celeberrimum canonistam *Objecto Repagulo & rejecto* J. U. D. a paucis diebus 1689. edito & approbato, impresso apud Wilhelmum Friessem Coloniæ. In epilogo U. I. D. autem animadverto, quod calamum valde indiscrete acuat in R.R. Patres *Minoritas* (qui sine dubio in sui defensionem & calamum & ora aptabunt) dum tempus erit, habent enim qui resistere possunt cum studium & pietas apud ipsos (ut omnibus notum) floreat: ni ipsis humilitas aliud suadeat aut obedientia; aut injusta prohibitio, interim cum frater qui adjuvatur a fratre sit tamquam civitas firma (quamvis ipsis PP. defensionem propriam relinquo) & ego nomine glorior *Francisci* ad honorem SS. illius Patriarchæ Minorum Ordinis fundatoris & ducis inclyti, non possum non paucis [salva vestra venia Illust. Domine] assеclam vestrum alloqui, statim ad epistolam vestram & ad vos reversurus: debachatur juris ille Doctor contra *minoritas*? sed cur contra illos singulariter? ratio in promptu est: *Subjecti sunt pedibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, sanguinem pro eadem etiam *Brabantini* fundunt, testes appello Martyres *Gorcomienses*, quorum sanguis illius confundit genas; novatoribus ore & calamo resistunt & ideo persecutionem patiuntur & sustinent; nec mirum: *Ubi cinis sub arbore non nidificat Corvus*, ubi habitus Cinericius & studium cum pietate novator sedem non figit immobilem; imitantur Seraphicum suum Patrem instar Athlantis Ecclesiam sustentantem; consideret statum & exitum I. U. D. justum *Minorum* hostis Giraldi de Abbatis Villa Paralysi & morte divinitus mulctati, legatque *Apologiam* pauperum ac questiones scriptas Seraphico D. Bonaventuræ calamo contra eundem ac quoscumque ordinem illum sanctissimum persequentes, si fortè convertat illum Deus ejusdemque asseclas, evomentes *Minoritæ*, PERNICIOSI SUNT CORPORIS ET ANIMABUS, conantes eosdem annihilare, ut hisce militibus

cæterisque etiam Religiosis suppressis, liberius sedem sanctã oppugnare valeant &c. sed nos è contra dicimus (cum *Minoritis*) doctrina est quasi hęretica, quę docet Papam subesse Concilio, *ita definitum in Concilio Lateranensi sess.* 11. sub *Leone X.* nec ab eo judicatur prima sedes, ait aliud Concilium, ut habetur *in cap. nunc autem distinct.* 21. tota ejus causa Dei judicio reservatur, ita Concilium definit teste *Gratiano & hinc etiam dist.* 17 ad eum [*Innocentium*] solum pertinet declarare ea, quæ pertinent ad fidem ita Concilium Viennense. Habetur in Clem: de summa Trinitate, imo ut ante diximus, concilia robur suum & auctoritatem à Pontifice habent *Cap. Significasti de election.* à nobis hodie habetur acceptum, quod sedes Apostolica approbat vel reprobat, uti fuse probat *Gratianus in cap. Si Romanorum distinct.* 19. numquid & *Tridentinum*, Illustrissime Doctor, petijt à Papa confirmatinoem ? lege si lubet in fine Concilij, numquid & declarat ea, quæ à Sacro Concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit & esse intelligatur sess. 25. cap. 21. de reformat. quia imo talis est stylus Conciliorum ait Gratianus *Si ergo* 25. *q.* 1. *Unde in nonnullis capitulis Conciliorum cum aliquid observandum decernitur, statim sub infertur: nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ aliter imperaverit, vel salvo semper jure Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel salva in omnibus Apostolica auctoritate*, undè nisi adsit auctoritas & confirmatio Papæ non erit Concilium sed conciliabulum & gesta in eo redduntur ad vacuum cap. multis distinct. 17. quod & ulterius considerandum venit; de plenitudine potestatis potest revocare constitutiones totius Concilij, ita *Glossa in Cap. Ubi periculum de election.* lib. 6. undè benè & verè *S. Hieronymus* ad DAMASUM in expositione Symboli ait: *Hæc est Fides Beatissime Pater, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus: in qua si minus peritè aut parum cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes &c.* Illustrissime Domine, si etiam in hac Epistola aliquid minus PERITE aut minus CAUTE est positum ignoscat zelanti patremque suum Filio defendenti, plus enim quam tempus est, ut novatoribus resistatur, nam ut rectè observat *S. Cyprianus* l. 1. epist. 3. *non aliunde hereses obortas, & schismata nata esse, quam inde, quod Sacerdoti non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex Vice Christi cogitatur.* Quare non mirum quod portæ inferi adversus ecclesiam rebellantes, *quantumcunque inter se discrepant, in Ecclesiæ oppugnatione consentiunt, juxta illud quod Herodes & Pilatus in Domini Passione amicitia fæderantur.* Ut loquitur *S. Hieronimus* in 7. Isaiæ, unde & *D. Hilarius* 7. de trinitate concludit, *Hæretici igitur omnes contra Ecclesiam veniunt.* Sicut autem Hæretici in hoc conveniunt, quod ecclesiam ejusque caput *Romanum Pontificem* cunctas hereses omni tempore damnantem [ut ostendit *Henricus Sedulius* in lib. de *præscriptionibus* adversus hæreses præscript. 16] oppugnent, ita & in eo [dignetur hoc intimare amico suo I. V. D. van Espen] quod junctis viribus Religiosos persequantur; hoc enim illis commune est & familiare *Monachorum choros*, [dico ego Religiosorum] *quasi hostes publicos æstimare* [verba sunt *S. Hieronymi* epist. 61. advers. err. Io. ser. 2.] ad oculum id patet in *Joanne Wiclef*, qui suos discipulos habet modo, illos, qui prohibent subditis suis ordinum mendicantium Religiosis elemosynam dare sub peccato &c. *Luthero*, Calvino &c. Hæresiarchis eorumque asseclis, qui non minus Religiosorum, quam Ecclesiæ & Pontificis persecutores fuere.

Rationem hujus si quis investiget, facile deprehendet, hanc esse præcipuam, quia scilicet Hæretici satis norunt, Religiosos esse præcipuos Ecclesiæ & Pontificis defensores

fensores, dum illos sentiunt suarum Hæresum & errorum acerrimos oppugnatores usque adeo, ut non immerito Religiosi comparari queant 60. illis fortibus ex fortissimis Israël, qui (ut scribitur canticorum 3.) lectulum *Salomonis* verè ambiunt, dum veri *Salomonis* Christi Domini dilectam sponsam ejusque in terris Vicarium Pontificem summum contra insultus Hçreticorum omni tempore & loco totis viribus defensare non cessant, in uno pro omnibus [omnes laudo] hoc clarissime patet ordine *Fratrum Minorum* [quem ille juris Doctor tam injuste persequitur in suo Repagulo] qui sicut primitus a S. Francisco fundatus est, ut testantur *Abbas Velspergensis* & *Ciacconus* ad annum 1212 contra *Waldenses* seu *pauperes de Lugduno* juratos Ecclesiæ & Pontificis hostes, quippe qui (inter alios perniciosissimos errores) totum Ecclesiæ statum in capite & menbris damnantes, docebant *Pontifici non obediendum*; canones & decreta Pontificum reprobantes; [cogitate de quali numero sint illi, qui modo INNOCENTII decreta realiter contemnunt] sicut inquam contra hanc hæreticorum sectam, Ordo Seraphicus primitus institutus est, ita & contra aliorum omnium Hæreticorum & novatorum furias Ecclesiam Dei ejusque caput Romanum Pontificem omni tempore pro viribus defendere numquam destitit nec desistit modo, Belgium testis est, in confusionem illius Clarissimi J. U. D noti vestrique familiaris, *Illustriss. Domine*, libros solum assignabo, ubi legere poterit, quam necessaria fuerunt pro Ecclesia Dei & modo sint privilegia & exemptiones ordini illi concessæ, sed ipsis *Minoritis* relinquo reliqua & solum breviter annoto, quæ Illust. vestra gratia perlibenter leget nam *Minoritas seu Recollectos* [ut scio] diligis & ut spero per D. V. contra hostem illum J. V. D. defendentur; scilicet confusionem suam legat sequentibus libris Doctor Juris tunc juste judicet: in operibus D. Bonaventuræ præsertim *Apologia pauperum*, Chronicis Waddingi, Annalibus Haroldi & Arenbergij Vitis, historia Seraphica Rodulphi, Privilegijs Chassaing, Historia Generali R. P. Caroli Rapini Parisijs an. 1631. legat Pisanum de conformitate, Medullam Evangelij P. Dernoy 12. fundamenta R. P. Marchantij, Sacrarium privilegiorum seraphico P. S. Francisco indultorum per R. P. Angelum de S. Francisco Duaci 1636. responce aux demandes d'un grand Prelat par Francoys de Fontaine Predicateur du Roy á Liege, Compendium privilegiorum FF. Min. ab Alphonso de Casarubios Venetijs 1631 Opera Sedulij & Titelmanni, Marianam in suo Francisco Redivivo Ingolstadij 1625. ut cognitionem Ordinis Seraphici accipiat introspiciat firmamentum trium Ord auct. sixto Senensi, Historiam Seraphicam Gonsagæ, Speculum R. P. de Riddere Apologiam R. P. Matthei Haureur, Examen Currus Mystici per R. P. Nicolaum Armigerum 1631. informatio R. P. Bernardini Vetweis 1653. Colon. &c. quod si introspicere dedignetur; sciat Ordinem Seraphicum fundatum esse in Fide Catholica unde quoad Novitios c. 2. regulæ *examinent eos de Fide Catholica*, teste Bonav. Frater Minor. pro Fide & Pontificis auctoritate debet esse paratus ad Martyrium, ex nunc numerant Martyres plus quam mille quingentos, Franciscus Vir Catholicus & totus Apostolicus Ecclesiæ teneri Fidem *Romanæ* docuit, sufficienter notum est omnibus quid hic in Patria Provinciæ FF. Minorum Recoll. tam Flandriæ quam Brabantiæ & S. Joseph in Comitatu Flandriæ pro Ecclesia & Pontifice prçstiterunt & modo præstant quid passi sint & modo patiantur quid tempore Geusiorum minoritæ perpessi sint lege in R. P. Marchantio titulo 12. fundamento 12, recordare J. U. Doctor, quid

Bruxellis

Bruxellis præstiterit peste infectis B. P. Theodorus a Monasterio *Minorita*, 1489. ossa jacent Lovanij, illa interroga, memorare quid anno 1672. & sequentibus in servitio infirmorum Tungris & alibi præstiterint, uti & Bruxellis sæpissime peste infectis, recordare, quid continuo F. F. Minores præstent servitij & non scribes Privilegia esse revocanda, necessaria enim sunt, ut tibi ac tuis similibus resistant: hæc accipe solum incidentaliter; quia ordinem illum particulariter persecutus es; tibi & alijs interim has ponit ad instructionem Theses Angelicus Doctor D Thomas opusculo 19. c. 4. &c.

I. *Cum misit Deus Apostolos, 12. & 72. Discipulos dedit illis facultatem alios mittendi sicut fecit S. Paulus 1. Corinth. 4.*

II. *Multo melius potest Papa & Episcopus delegare alios & mittere in Vineam Domini quam parochus.*

III. *Minores Angeli in cælesti hierarchia, mitti possunt a superioribus; & eadem plane opera exercent, ideoque dicuntur Seraphim & Cherubin, quia eorum opera exercent sic in Hierarchia Ecclesiastica.*

IV. *Papa non destruit Ecclesiasticam Hierarchiam cum mittit Monachos ad Prædicandum, quod enim potest inferior ut curatus concedere committendo curam alicui, hoc potest ejus superior ut Episcopus & Papa.*

V. *Papa in hoc non facit contra decretum Canonum, nec contra statuta Sanctorum, quod si daretur eum facere contra verba statutorum, certum est eum servare intentionem statuentium quæ est utilitas Ecclesiæ.*

VI. *Quæ sunt de jure positivo, relicta sunt sub Papæ dispensatione, ut est hoc de quo quæritur, nempe mittere Monachos ad Prædicationes & Confessiones audiendas.*

VII. *Quisquis Papæ vel Episcopo suo vel alicui ejus vicem habenti confessus est, ille confessus est proprio Sacerdoti.*

VIII. *Cum Episcopus subditum Sacerdotis absolvit per se vel per alium cui commisit, tum Sacerdos parochiales, ita debet reputare se cognoscere eum, ac si sibi confessus esset nam cognoscere potest aliquem aut ex propria Confessione, aut ex sententia superioris an sit dignus Communione.*

IX. *Licet concedatur posse aliquod malum oriri ex hoc, quod aliquis non confitetur parocho suo; tamen multo plura & majora mala nascuntur, si quis cogatur necessario illi confiteri, ut patet experientia.*

X. *Quiquid Sancti Doctores & Canones videntur dicere de Monachis, quorum officium esse dicitur magis plangere, quam docere hoc dicitur de Monachis illis, qui nec Sacerdotes erant, neque Diaconi sed Solitarij & Eremitæ, non de ijs, qui ad hoc vocati sunt, & qui non ex propria auctoritate id faciunt sed ex commissione Prælatorum.*

XI. *Etiamsi daretur duos tantum Ordines à Domino esse institutos, qui possent propria auctoritate prædicare &c. posset tamen Ecclesia tertium statuere Ordinem, qui possent propria auctoritate prædicare, multo magis eorum qui ex commissione, sicut in primitiva Ecclesia fuerunt tantum duo Ordines scilicet Presbyteri & Diaconi, & tamen postea Ecclesia Minores Ordines statuit.*

XII. *Quidam à Confessione desistent, nisi possent alijs, quam suis Sacerdotibus confiteri.*

XIII. *Ex communi consuetudine Orientalis Ecclesiæ, omnes fere Monachis* (in Belgio religiosis) *confitentur.*

XIV. *Quidam novellum sibi statuentes errorem in tantam procumpunt audaciam, ut asserant*

sunt non posse per Episcopos Religiosis prædicta committi absque voluntate parochi & quod perniciosius est non posse hoc asserunt concedi per PRIVILEGIUM *Sedis Apostolicæ.*

XV. *Optime ait S. Dion: Eccl. Hier. C. 6. summus Sacerdos per suos ministros aut Sacrantes purgans aut illuminans, esse dicitur purgare & illuminare ergo & Episcopus eodem modo, qui autem facit per alium, per seipsum facere potest.*

XVI. *Balphemiæ vicinum est dicere, quod Episcopus non possit usum Clavium exercere in quemlibet suæ Diœcesis sicut & Christus posset.*

XVII. *Potest institui religio ad subveniendum pauperibus in necessitatibus corporis ergo multo magis potest institui ad subveniendum animabus per prædicationes & confessiones.*

XVIII. *Quod potest Inferior potest etiam Superior: quod ergo potest Curatus, potest Curatus & potest Papa,* CUI (ut ait Cyrillus) OMNES JURE DIVINO CAPUT INCLINANT.

XIX. *Alij Gubernationes, alij Opitulationes inquit Apostolus* 1. *Corinth. c.* 12. *opitulationes sunt ijs, qui ferunt opem majoribus, ut titus Apostolo, Archidiaconi Episcopo &c. Hoc autem non destruit Hierarchiam Opusc.* 14. *c.* 23.

XX. *Alter alterius Membra & unum Corpus in Christo Rom:* 12. *manifestum est quod Ecclesiasticæ dignitati derogat,* QUICUMQUE RELIGIOSOS IMPEDIT NE DOCERE POSSINT OPUSC. 15. cap. 3.

XXI Ibidem Cap. 3. *qui* ROMANÆ ECCLESIÆ *privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum* AUFERRE *conatur, hic procul dubio in* HERESIM *labitur ut dicitur in decretis dist.* 22. *cap. omnes & a S. Ambrosio, qui ait se in omnibus sequi* MAGISTRAM SANCTAM ROMANAM ECCLESIAM lib. 3. de Sacram. c. 1.

XXII. *Ab Apostolis* 7. *Diaconi instituti fuerunt, qui erant in statu perfectionis nam relictis omnibus secuti erant Christum: ab horum exemplo omnes Religiones derivatæ sunt: quemadmodum ergo Apostolis Episcopi, Discipulis Parochi, sic Diaconis Religiosi successerunt* opusc. 14 c 23.

Has Theses Angelicus Doctor solemniter defendit, & hoc tempore, præsertim ab hostibus Religiosorum & inimicis sanctæ sedis ruminari merentur. Cathedra enim Romana ejusque potestas maxime defendenda, dum novitates oriuntur, ad illam recurrendum, huic obediendum, sic & bene *Hieronymus* ad *Damasum* scripsit in Ecclesia Orientali hæreses & scismata pullulare, ideò sibi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censuit consulendam, & infra ajebat, *Ego nullum præmium nisi Christum sequens* [idem cum ipso scribo] *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram Edificatam Ecclesiam scio,* Innocentio XI. obediamus, atque *Oremus* [Ecclesiæ sunt verba in rogationibus] *pro Pontifice nostro,* respondete mecum Illustrissime Domine cæterique Galli non ore, sed corde & vos omnes quicumque diligitis Dominum ejusque Vicarium, supremum Universalis Ecclesiæ Monarcham, dicite non tamen AULICE, *Dominus conservet eum & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra & non tradat eum in animam inimicorum ejus,* Si nos ipsius defensores in animam, os & calamum hostium tradamur, si persecutionem propter justitiam ac antiquam Romanam Catholicam fidem Ecclesiæque sanam doctrinam patimur, sustinemus utique, plura parati pati, mandatis Sanctissimi Domini in omnibus obtemperaturi, eundemque tamquam infallibilem universalis Ecclesiæ Magistrum Concilijs prædominantem Monarcham defensuri, animos nobiscum sumite, & quidquid sedes Apostolica responderit suscipite & *Causa finita est*, hac lege & non alia, pax Ecclesiæ

clesiæ desiderata surget in Belgio & tunc erit multitudinis credentium cor unum & anima una, obedi ergo Illustrissime Domine & compelle subditos ad obedientiam: hinc finio verbis Chrysologi in epist ad Euthichem. *In omnibus hortamur te Frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis præscripta sunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propriâ Sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Quam indignum sit Christianis, multo magis Episcopali charactere insignito, Pontifici non obedire declarat idem Chrysologus exemplo Christi serm. 175. dicens " edicto Cæsaris, & pagani Dominus obtemperaturus occurrit, & de„creto B. Petri Principis, Christiani servus adhuc aliquis irreverenter obsistit ? " hanc ergo Chrysologi indignationem, imo & omnium Christianorum, quin & ipsius Dei à te avertas & à tuis Gallis [quos nullo modo taxare volo, sed solum doctrinaliter cum ipsis agere ut veritas elucescat, nec Christianissimum Regem tangere intendo in quacumque materia, aut alia capita coronata, sum enim neutralis] ne veniatis in judicium de contemptu, sed per obedientiam mereamini vitæ æternæ mercedem, quam vobis ex corde apprecor & maneo

ILLUSTRISSIME DOMINE,

Illustrissimæ Vestræ Gratiæ indignus Famulus

FRANCISCUS VERITE'.

Datum 7. Martij 1689. in Festo Angelici & Quinti Ecclesiæ Doctoris D. Thomæ Aquinatis.

Imprimi poterit.
H.F.A.L.A. Librorum Censor.

NOTA: Leodij apud *Jacobum Monfort*, & Coloniæ apud *Joannem ab Egmont* invenitur D. *Francisci Verité* epistola 1. sub titulo *Summus Pontifex vindicatus &c.* uti & 2. *Papa infallibilis in Triumphum adductus* & 3. *Innocentius XI. infallibilis Fidei Magister probatus &c.*

Errata potiora (Benigne Lector) quæ propter absentiam Auctoris irrepsere, corrigere digneris,

Pag. 6. lin. 30. dispossituri *lege* depossituri
Pag. 10. lin. 43. competentam *lege* competentem
Pag. 10. lin. 36. potestate *lege* potestatæ
Pag. 12. lin. 14. quopropter *lege* quapropter
lin. ibid. veneremur *lege* veremur
Pag. 12. *lin.* 22. tu *lege* D. V.

